

Wienbibliothek im Rathaus

T 10362/2.Ex.

A

MA 9 - SD 25 - 112011 - 21A


8 - 3339

3993

Nr. 1961. Jmrv.



Variante: 4. Aufl. 92 p [wie 2942]
am Schloss 18 Aufl. [2941: 9 Aufl.
2942: 2 Aufl.]




Wiener Stadt- und
Landesbibliothek

10301 A

MA 9 - SD 25 - 25 - 894 - 115518 - 38

Vaelckeren To-Bet. Vienna a turcij
obpresso, a Christianij liberata, sive
Dianum obditionis Viennensis. etc -
Vienna Voigt 1653 in 4 con trahere
L'oro raro legato in pec. f. 10.



VIENNA
à
TURCIS OBSESSA,
à
CHRISTIANIS
ELIBERATA,
S I V E

DIARIUM
OBSIDIONIS VIENNENSIS,

Indè à sexta Maij ad decimam quintam usque
Septembris deductum,

AUTHORE

JOANNE PETRO à VÆLCKEREN,
Sacri Romani Imperij Equite, Sac: Cæf: Maj: Consiliario Aulico
Bellico, Generali Auditore & Historiographo: unà
cum typis æneis.

Cum licentia Superiorum, & Privilegio Cæsareo.



VIENNÆ AUSTRIÆ

Typis Leopoldi Voigt, Universitatis Typographi,
Anno 1681.

A-10362/2.Ex.

A 10. 301

4. Ex.



IN 335.374

ILLUSTRISSIMO ATQ;
EXCELLENTISSIMO
DOMINO DOMINO
RUTGERO
ERNESTO,

Comiti à Stharenberg, &c.
SAC: CÆS: MAIESTATIS
CAMERARIO, CONSILIARIO
Aulico-bellico, Generali rei Tormentariæ Præfecto,
Campi Mareschallo, Commandanti Viennensi supremo, &
legionis pedestris Tribuno.

DOMINO AC MECÆNATI
SUO GRATIOSO.

VELOS hos de Vieñensis ur-
bis obsidione & eliberatione
commentarios *Tua Excellentiae*
dedico, Mecænas nunquam satis depræ-
dicande: cùm enim *Tua* in eis præclarè
facta & gesta passim narrantur, jure me-

rito Tuæ etiam nominis famæ à me consecrantur. Hoc cavi: ne nimius videar in laudando, ut ne adulari velle reprehendar, qui scio, quām sollicitè *Tu Ipse* hinc abituriens caveris, ne quidquam in hoc genere relationis imprimetur Viennæ, quod mediocritatem excederet. Hanc modestiam *Tuam* ne flagellem ego; libellum, hunc meum supremis hic Viennæ reliquis à Cæsare Deputatis Consiliarijs dedi censendum, qui dum lectum & cribratum typo comitti posse subscriberent, ausus sum prælo subjicere. Cætera quæ post eliberationem urbis usq; ad finem Anni, eaq; quæ obsidionis tempore alibi gesta sunt, scribam, cum finito hoc campiductu certius me de omnibus informare potuero, intellexeroque prius, hos meos labores placuisse.

Excellentiaæ Tuæ

Obsequiosus servitor

Joannes Petrus à Vælckeren.

TENOR PRIVILEGII CÆSAREI.

DEOPOLDUS Divinâ favente clementiâ Electus Romano-
rum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae,
Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, &c. Rex, Archi-Dux Austriae, Dux
Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae & Würtembergae, Comes Tyrolis, &c.
Agnoscamus, & notum facimus tenore presentium Universis, quod, cum Nobis Hono-
rabilis Noster Sacriq[ue] Imperij fidelis Dilectus Joannes Petrus à Välckeren, in
bellicis Consiliarius, Exercituum supremus Praetor, & Historiographus Noster, hu-
miliimè explicaverit, se in nupero Urbis Nostræ Viennensis obſidio præsentem, inter
atroces armorum strepitus, & ſævos Turcarum impetus, accurato notasse studio, qua
hostes quotidie expugnabundi Urbem, Nosterq[ue] præsidarius miles ad excludendam
vim barbaram, moliti fuerint, ac libro sub nomine: Vienna à Turcis obſeffa,
à Christianis eliberata, composito, traditurum, non adeo virtutum ſterile hoc
ſaculum, ut non & bona posterisq[ue] imitanda exempla prodat: Nos hoc opus, fortitu-
dinis Christiane monumentum, opimum caſibus, testimonium conſtanter tolerata
neceſſitatis, & celebratis antiquorum ingenij pares ſuccellens, benignè
laudâſſe approbâſſeg[ur], non tantum, ſed ad ſupplices Authoris preces privilegio No-
ſtro impressorio omnino dignum ſenjuſſe. Proinde clementer volumus, & virtute
hujus Noſtri Cæſarei edicti firmiter ſtatuimus, quod Consiliario & Historiographo
Noſtro à Välckeren unicè liceat intra biennij ſpatium volumen hoc ſuum, uti in La-
tino ſermone conſcriptum eſt, edere, nulli verò idem in Germanicum vel aliud quo-
cunq[ue] idioma, ciuita ipsius impetratum conſenſum & permissionem vertere, ac vul-
gare facultas eſſe debeat. Omnibus adeo ac ſinguli, Bibliopolis, Typographis,
ac Bibliopegi, ceterisq[ue] quibuscumq[ue], rem ſeu negotiationem libraiam exercen-
tibus, ſeriò ac diſtrictè, idq[ue] ſub poenâ Sex Marcarum Auri puri puti, inhibemus
& mandamus, ne eorum quisquam præter memoratum Consiliarium Noſtrum à
Välckeren, durante præſinito tempore, à primâ editionis die computando, intra
Sacri Romani Imperij fines, indigitatum librum in aliam transferre lingua, ſimili
vel alio Typo, eadem aliave formâ, imitari, recudere, invehere, apportare,
clam ſeu palam divendere, aut diſtrahere præſummat: Si quis verò Edictum ſeu
Privilegium hoc Noſtrum temerè violare, ſeu transgreſi ausus fuerit, eum non ſo-
lum Exemplaribus ubicunq[ue] repertis, perperam quippe recuſis & apportatis (qua
quidem Noster Consiliarius à Välckeren propriâ authoritate, vel ejus loci ubi depre-
henduntur Magistratus auxilio ſibi vendicare poterit) privandum; ſed etiam poenâ
conſtituā ex ſemiffe Fisco, ſeu Aerario Noſtro Imperiali inſerenda, ex altero verò
ſemiffe

semisse injuriam passo pendenda, omni spe venie sublatâ, multandum determinamus. Dummodo tamen ipse libellus tenorem hujus Privilegij pro cuiuscunq; notitia in frontispicio ostendat, ejusq; quatuor ad minimum Exemplaria ad Cancella-riam nostram Imperialem quantocius transmittantur. Mandamus itaq; Universis nostris, & Sacri Imperij, Regnorumq; & Provinciarum nostrarum hereditariarum Magistratibus, Ecclesiasticis & Secularibus, cuiuscunq; Ordinis, conditionis & gra-dus fuerint, ne quemquam huic Nostro Cesareo Privilegio ullatenus impunè contra-venire patientur, quin potius ejusdem transgressores supradictis pœnis, alijsq; monitis idoneis coerceri curent, quatenus & ipsi eandem multam evitare voluerint: ha-rum testimonio litterarum manu nostrâ subscriptarum, & Sigilli nostri Cesarei appre-sione munitarum, que dabantur Linçij, die Vigesimâ Octobris Anno Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo tertio: Regnum nostrorum Romani vigesimo sexto, Hungarici vigesimo nono, Bohemici verò vigesimo octavo.

Leopoldus.



Vt. Leopoldus Guilielmus
Comes in Königsegg.

Ad Mandatum Sac. ^{ra} Cæsar.
Majestatis proprium.

Joannes Probst.

LE-



LECTORI.

FActum est, DEO sic disponente, ut, dum alij passim Viennam desererent, ego adversâ valedidine dejectus in lectulum, operiri jam cogerer eam, quamcunque datus esset eventus sortem. Aliquot ab excessu Cæsaris abierant dies, cùm pristinæ sanitati restitutus, ijs me per ordinem sisto, meaque officia singulis in Cæsareæ Majestatis obsequia defero, penes quos Cæsar deposuerat rerum summam.

Asymbolum * hoc angebat, ecquonam ociosus negotio temporis tædia evitarem honestius? neque enim legere semper erat volupe: Historiam scribebam, qui sum repetito Cæsaris decreto Historiographus? sed deerat continuandæ, quam conscriptis jam tribus libris nuper sum orsus, interclusa Archivis materia: dumque hæc volvo, incidit; amplam in dies & horas, obsidione quâ premimur, ex ijs, quæ geruntur & fiunt, novæ prorsus condendæ Historiæ suppeditari materiam: moxque hanc mihi spartam, exornandam desumpsi. Et ecce:

Communico tibi junctim, Lector, hic pauculis, quæ multis ego septimanis à diversis, nec testatæ satis semper fidei authoribus collegi: undè & factum, ut, quæ singulis diebus dubio rumore intellexeram sin-


* Sine figura officij relictum.

gula,

gula, ea dein inhanc formam contracta, & cum majoris tum authoritatis, tum fidei viris (qui ipsi rerum gestarum pars magna fuerunt) communicata, tanquam minus sincerè relata, aut aliter gesta reprobarentur. Veritati autem ab ipsis met restituta ita hic quidem in lucem prodeunt, ut nudam & simplicem rerum gestarum narrationem, non ipsa momenta rerum, aut causas invenias.

Has altiori rerum indagini maturandas, dedolandasque prius remittimus, olim deinde defæcatori cum judicio in Historiam Cæsareo-Austriacam recondituri. Vale, & promiscuæ huic latinitati indulge, quia scribo promiscuis.

Hoc quoque hic notes velim: Biuæ sunt commentarijs his, uti vides, adjunctæ tabulæ æri incisæ, quarum altera characteribus, altera numeris notata est. Ubi ergo characteres notatos in libello inveniris, ad minorem recurre, ubi numeros, ad majorem: & sane propterea neutra earum compacta est libro, ut lectorus Narrationem ante oculos tuos habere possis, nec toties, quoties in characterem vel numerum offendendis, necesse sit semper ad caput libri recurserere. Vale, & æqui bonique consule.



Eigentliche Delineation und Abbzeichnung
der Belagerung der Kaiserl. Residenz-Stadt Wien
in Oesterreich / wie dieselbe den 14. Juliij 1683. von denen
Turken / Tartari / Rebellschen Ungarn / Wallachen / Moldauern
und Siebenbürgeren unter Commando des Türkischen Gross-Vezier oder Kehd-
Herrn Kara Multapha Bassa genannt/ aufgefangen / und den 12. Septembris dessel-
ben Jahrs durch Gotts Segen und der allijsten Christen Entzüngung aufge-
hebt worden.

Bartholomeo Camuccio,

Leandro Anguissola, Authoribus.

Auflegung derer Ziffern.

N um. 7. Die Burg-Pastey. (8.) Die Löbel-Pastey. (17.) Die Cortina zwischen beeden. 9. Das Revelin in der mittten. 38. Die Cortina vor der PP. Augustiner Closter und Kirchen. Wie sie von den Belägerern feind mit Abschüttungen und Retraten verloren gewesen.

30. Das Bollwerk der Spanier genannt. 14. Das Ober-Bollwerk über der Löbel-Pastey gelegen vulgo cavagliere oder Lage. 27. Das Melker-Revelin, oder Ziegelschänzl. 32. Die Melker-Pastey. 39. Das Schotten-Revelin. 3. Die Elen-Pastey. 40. Das Revelin vorn Neuen Thor. 41. Das Wasser-Revelin. 15. Zwei Pasteyen und die mitttere Cortinen dabe / das Neue Gonzagische Werk genannt. 34. Die Bibor-Pastey. 42. Das Juden-Schänzl. 43. Das Bibor-Revelin. 35. Die Pastey zur Hollerstaufen. 44. Die Ober-Pastey vor denen PP. Dominikaner. 45. Das Stuben-Schänzl. 36. Die Brunn-Pastey. 46. Das Revelin im Dachstöck genannt. 18. Die Wasserkunst-Pastey. 29. Das Karnter-Revelin. 25. Die Karnter-Pastey. 37. Der Vogel-Gesang. 47. Das Revelin von denen PP. Augustineren. O. Arsenal.

4. Das Burg-Thor. 48. Das Schotten-Thor. 40. Das Nem-Thor. 50. Das rothe Thor oder der Oberfall. 51. Das Fischer-Thor. 52. Der Unterfall. 53. Das Stuben-Thor. 54. Das Karnter-Thor. 13. Die tiefe in Gräben. 26. Abschnitt Caponiers deren Belägerter. 55. Bedeckt und verpalisadiret Weg / warunder die Belägerter zu denen Revelinen. 9. vnd 27. ab. vnd zugiegen 56. Andere Abschnitt deren Belägerter / so sie vor dem Neuen Thor in denen Contrascarpen gemacht haben. 33. Das Wasser-Revelin. 2. Die Contrascarpen. 58. St. Stephans Kirchen. 19. Die Abtey von Schotten. 59. Das Prediger Closter. 10. Kays. Burg/c. 22. Der Canal innerhalb des Neuen Thors / so auf der Donau zum Arsenal leitet. 1. Die Schlagbrücken zur Leopoldstatt. 61. die Brück zum Drater. 62. Bey dem Weizgarten. 63. Auf der Landstrassen. 64. Auf der Widen. 65. Auf der Wien. 66. Auf der Leimgruben. 67. Das Croaten-Dörfl. 68. Nach S. Ulrich. 69. Die Alstergassen. 70. Die Waringer-Gaf. 57. Die Rosau. 11. Der Kaldschmidische Garten. 12. Der Reikomischische Garten. 5. Der Rotenhoff. 6. Der Türkischen Lauff-Graben / welche sie auff ihre Sprach Meteris nennen. 20. Der Anfang der Magistratischen Linien mit ihren Traversen, so die Türkten durchgehend Zischaniolij, das ist zu Deutsch Mäulöcher nennen. 71. Die Schlüß-Linien an den Ecken der Lauff-Graben.

9. In der mitternen Attacque zum Revelin.
20. 72. Allhie hat der Gross-Vezier selbst commandirt und ange-
führt.

20. 73. Allhie commandirte der Janitzer Aga.
20. 74. Allhie commandirte der Hassan, Bassa von Sophien.
20. 75. Allhie commandirte Ismael Kyhaiad Begy.

7. In der Attacque zu der Burg-Pastey.

20. 76. Allhie commandirte der Kara Mahemet, Bassa aus Mesopotamia, da aber dieser über ein hauffen von denen Unfrigen geschossen worden / ist ihm succediret Hussaim, Bassa von Damasko.

20. 77. Commandirte Ismael Czagarly Baffy, und Kyhaiad Begy, von welchen oben gemeldet worden.

8. In der Attacque zum Löbel zu.

20. 78. Commandirte Machmet, Bassa von Temiswar. Dieser aber starb den 3. Septembris an der rothen Ruhr / und succediret ihm alsbald Hussaim Bassa, so vorher Schatmesser gewesen / auf Türkisch Testerdar genannt. 20. 79. Allhie commandirte Solymann Samsony Bassy. 80. Allhie im Trautsonischen Garten hielte sich der Gross-Vezier oft auf nebst bey der PP. Capuciner Kirchen / hinweit St. Ulrich / alwo er Löcher in die Mauer 81. brechen lassen / durch welche er in die Lauff-Graben 82. eintratte / so zweyfach beim Rotenhoff. 5. Eingeschnitten waren / vnd einer zum Revelin. 9. Der ander zum Löbel-Pastey 8. führte. 21. Andere Derrher in denen Lauff-Graben zu des Gross-Veziers und anderer Bastien Aufenthalt. 28. Unterchiedliche Batterien der Türkten / so wohl in vnen Lauff-Graben und Appronchen, als auch auff jener Seiten der Donau in der Leopoldstatt. 83. Eine Türkische Batterie auff dem eroberten Revelin, von welchen der Feind ärgerlich mit steinen in die Stadt schoss. 24. Zappa oder Gallerien. 31. Neun Minen / so die Türkten unter der Cortinen zwische der Burg und der Löbel-Pastey schon verfertigt hatten. 84. Der Graben / vermitteis welches die Türkten das Wafer / so von St. Ulrich herab rinnet / von ihren Lauffgraben ab / und anderswerts hin deriviret haben. 23. Brustwehr / so die Türkten auff jener Seiten der Donau verfertigt haben.

Linz in Oesterreich /
Gedruckt bey Johann Näßlmayr.

Domeo Rosselli Scul.

Sumptibus Authoris Vendit
una cum libro

30 x.

Scala Pericorum Rynlandicarum

Scala Passeum Communium

100 90 80 70 60 50 40 30 20

100 90 80 70 60 50 40 30 20

ut


CASTRAMETATIO
Turcarum Exercitus ante Viennam anno
Christi 1683.

Leander Anguissola fecit



Explicatio litterarum

A Ramus Danubij prope Nusdorffum. B. Insula Leopoldopolitana. C. Claustro Neoburgum. D. S. Marcus. E. Galenberg. F. Aduersa Danub. Continen-
tis iuxta Pontes. G. Pons maior. H. Pons Rami superius Nusdorffum versus. I. Pons inferne structus. K. Saltus Viennensis Wiener Wald. II. Mons
Viennensis Wienerberg. L. Hortus Comitis a Bereka. M. Corneburgum. N. finis Insulae ubi Ramus se iterum comiscet aliueo. O. Insula in medio fluminis supra
Nusdorffum. P. Mons Pisenberg. Q. Vienna Torrens. R. Nusdorffum. S. Sancti Leopoldi sacellum in Monte Cæsio. T. Camaldulens. Busta in Monte Cæsio. V. Tectoria Sup. Vezirij. X. Tentorum
in quo sub pugna stabat Vezirius. Y. Neugebey. Z. Pons sublieius ab Urbe in Insulam
Dome. Rossetti sculp:





AÆsar LEOPOLDUS Augustus, Affi-
ni suo Serenissimo Principi Carolo Lotharingiæ
Duci, &c. sextâ Maij Anni hujus 1683. in manus
dedit arma sua , instituto ad id solenni armilustrio :
cui haud procul Posonio (a) cis Danubij ripam in
amœnissimis Kitseensibus pratis indicto, Cæsar cum
August, & Electore Bavarо, multisq; alijs Imperij Principibus, sum-
mus ipse Lustrator intersuit ; prandio exceptus regali sub papilioni-
bus tensis à Lotharingiæ Duce , convivantibus una Electore Bavarо
Maximiliano , Ludovico Wilhelmo Marchione Badensi, Julio Fran-
cisco Duce Saxenlawenburgico , & ipso Lotharingiæ Duce : qui hoc
nomine, quod promus esset, postremum locum occupavit.

Nec mireris, in tantâ Principum istic tunc præsentium copiâ , non
nisi hos pauculos Cæsareæ mensæ fuisse adlectos : cum regnantum ,
quos vocant, Imperij Principum (& quidem non nisi ruri) solum hoc
privilegium sit.

Completis his solennibus , queis procincto jam in hostem militi
mensis unius stipendium anticipatò est erogatum ; Cæsar & Aula
Viennam ; Dux autem Lotharingiæ Jaurinum (b) versùs movet
exercitum : indeq; explorato Strigonio, (c) ejusq; circumcisit , judi-
cavit ejus expugnationem frustraneum fore illius temporis opus ,
ob rationes, quas Cæsari probavit ita , ut Is rescriberet : acquiescere
se argumentis Dilectionis ejus , queis persuasa , abstineat obsidione
Strigoni : cupere se tamen vehementer , ut , quandoquidem adeò
tempestivè exercitus campo successisset , aliquid fiat eorum , quo fa-
ma armorum suorum capiat incrementum.

Dux acceptis litteris, cum nil sciret, quo Cæsareis armis sub id tem-
poris fama accresceret certius, ad obsidendum Uivarinum (d) conti-
nuò applicat animum , cæteris Generalibus ferè propositum collau-
dantibus, & Rutgero Ernesto Comite à Stharenberg reitormentariæ

Præfeto Generali (cujus famæ, ac gloriæ Vieñensis dein Urbis conservatio debebitur) generosissimè curam suam, ac operam collocante. Qui dum situm Urbis explorat avidius, parum aberat à fatali Turcarum glande, quarum copiâ iste Horizon tunc perpluebatur. Urget tamen opus indefessè eo progressu, ut interciperetur Suburbium, cuius ædificio cuipiam, quod olim templo servierat, cum jussisset immitti viros 50. sub uno Tenente; re perperam intellectâ accurrit legionis Scherffenbergianæ Instructor Joānes Georgius Comes ab Herberstein, cum 150. Legionarijs-numero stationem adeò adimplente, ut nec vertendi se, nedum arma tractandi spaciū superesset compactis: scamina tamen, ac sedes per templum locatas confringere tumultuarie occipiunt, ut spacia laxent: unde ingens fragor, & clamorum confusio: quo factum, ut supervenientes nostrorum plures, abs Herbersteinio petiti, qui priores, ubi opus, sublevarent, animadversâ eâ intus in templo vociferantium scaminaque, ac sedes confringentium incondito, confusoq; tumultu, rati hostem intus in loco esse, cæco errore in suosmet sclopeta explodere inciperent; quo errore Capitaneus Silberberg fuit occisus: ceciderunt autem adhuc & alij, verum haud nostris metu, sed hostilibus Turcarum glandibus icti; hos inter fuit Stharenbergia legioñis Capitaneus Kraus, cuius tunc, ceu Adjutantis operâ utebatur Generalis, huic imprimis charus: cæsus quoq; Lamoranus Comes Taxius his diebus, & læsus Leopoldus Comes Kobbius, Subtribunus Legionis Beckianæ: qui Posonium deportatus, cum non magni æstimaret vulnus, quod brachio excepterat, proindeq; minus diligentem curando operam adhiberet, ingravescente sub cura malo, vitam finiit: Filius magni, & prudentis olim Generalis Tormentariæ rei Præfecti Wolfgangi Friderici Comitis Kobbij, qui in Daniam paucis ab hinc annis à Cæsare pro Regem missus, senio & morbis fractus istic gloriosus occubuit.

Hæc dum fiunt, Cæsari scribit Dux, Uivarino obsidendo quidem applicuisse se animum: sed quod nuntijs certis intelligat, Primum Venzirium cum incondita hominum multitudine magnis passibus accelerare Budâ; decrevisse se, omisso hoc loco, ubi obsidionales viæ nondum patescant, nec suggestus formati sint, ita collocare exercitum Majestatis ejus, ut & defendere se in casum, & obniti conatibus hostium, & terras contegere hæreditarias possit. Nec mora: Comoni-

ronium versus cum Exercitu relegit iter providentissimus Dux. Hujus præsidium, quod minus videretur, quam ut omni casui, qui cunque se dare posset, par esset; Dux auxit sub Gubernatore loci Carolo Ludovico, Comite ab Hoffkirchen, Armamentariorum alias Cæsareanorum Præfecto, & Consilij Aulico-bellici Seniore, superadditâ ei legione pedestri, Generalis vigiliarum Magistri Baronis à Diepenthal, sub ductu ejus Subtribuni Joannis Andreæ Comitis Jörgeri: ipso Barone in Silesiam ad curanda alia destinato. Donec de Turcarum adventu magis, ac magis edoctus indies Dux, itinere sex miliarium per Insulam Schuttam Jaurinum moveret, relicto ad lœvam Danubio: ubi per sublicium flumini instratum pontem traducens exercitum, altero abs Urbe lapide, duo inter cognata nominibus flumina, Arabonem majorem, & minorem (a) vicinus consedit, perficiendæq; fortificationi per Comitem Stharenbergium indefessus incubuit.

Quando pauculis post hæc diebus, & Turcarum incondita multitudo, quæ Virorum omnis generis millia ducenta exæquare credebatur, visa est è regione nostrorum castra metari, in via, quâ Albarregali (b) Jaurinum est iter, Arabone semper intermedio. Ad cujus spondam mox agi velitationibus cœptum est cominus; eminus tormentis in adversas utrimq; partes reboantibus; tentataque hinc inde vada, si quæ darentur, queis committi invicem possent & nostri, & hostes.

Factum est autem, dum se hîc invicem observant adversæ partes, ut cuneus prædonum Tartarorum (quorum millia triginta sub Hanœ eorum ipsomet præsente Turcarum castris intersunt captivis referentibus) explorato altius, quâ ad scaturiginem vergit Arabone, legensq; adversam defluentis ripam, Kermentum, & ad S. Godhardum usq; ascenderet ductoribus Hungaris: quâ nimirum parte ante annos 19. ingens illa, & famosa reportata nobis victoria est, ibiq; dum pontes reperiunt integros non disjectos (peccato, uti fama est, Comitis Bathiani) eorum comodis usi transeunt derepente: tranatôq; dein, quod proniùs erat, minori Arabone (c) relictis ad dexteram Sabaria (d) & Güntzio, ad lœvam autem Sopronio, (e) veloces & improvisi effunduntur in Peisonem lacum (f) circumscitosq; per viam Vicos,

(a) Vulgo Raab / & Rabniz. (b) Stulweissenburg. (c) Rabniz.

(d) Stein am Anger. (e) Edenburg. (f) Neusidler See.

Pagos, Arces, & haud cincta muris oppida longè latēq; flamma ferroq; vastant, & subruunt, abductis in captivitatem multis Christianorum millibus ad usq; Leitham amnem: ubi is abs Hungaria discriminat Austriam. Iстic enim sita Urbs Cæsaris, mœnibus & fossis cincta, Brugg dicta, cum arce cognomine Harrachiorum genti obnoxia, stitit tunc quidem cursum. Cæteris trans Leitham pagis, & oppidis Harrachianam ad arcem spectantibus igne absumptis.

Horret calamus scribere, quantus eā, non prævisā, non expectatā calamitate incolis timor, quantus accolis payor obortus sit: nec poterat capi, exercitu nostro Praedones inter & Turcas medio, audere hujusmodi enorme facinus emissarios: neq; deerant, qui metuerent, ut nè fortè exercitus noster interclusus vapularet utrimq;.

Et certè inaudiens Dux, præterito se, hostem jam in Austriam usq; penetrasse, perpendensq; periculum, quod cis & ultra Arabonem, cum viginti quatuor millibus armatorum, quæ post firmata Jaurini & Comoronij præsidia ad sumum adhuc numerabat: cingi ab innumerabili hominum multitudine posset, & intercludi; re cum cæteris deliberatā se recipere statuit. Atq; ut ne peditatus cum re tormentariā lentitudine suā equitatum tardaret, hunc ab exercitu separat, unāq; cum re tormentaria in Insulam Schüttam transportat: unde tutioribus dein trans-Danubianis itineribus, Posonium & Tæbas; superatoq; istic Moravo amne, per cognomines amni Campos (*a*) securè Viennam possent tradi, ut sunt traducta. Quòd autem discedente cum exercitu Duce, Jaurino timeri ab obsidione poterat, Commoronio item, aut Leopoldopoli (*b*) ad Vagum his annis exstructæ; hisce otiam locis de præsidijs amplis, alijsq; ad defendenda necessarijs providit. Et de Commoronio quidem paulò ante diximus: Leopoldopolim (cui Henricus Godefridus Baro de Kielmansegg Colonellus cum laude imperitat) amandavit tormenta majoris notæ (quas medias Cartaunas vocant) quatuor, unā cum annonæ militaris copia non vulgari: cui Schulzius dein Generalis, cum è Nitriensibus agris, ubi rem contra Teöckeölios curaverat hactenus, retrocedens iithac transiret, cohortes aliquot peditum, unamq; Dimachorum (*c*) quam è montanis Civitatibus traxerat, adjecit: ita, ut & huic loco commodè fuerit provisum per omnia.

Jaurino autem, cuius, sicut & confiniorum ejus Gubernator Hermannus Princeps Badensis, Consilij Aulico-bellici Præses est, cùm

(*a*) Marchfeld. (*b*) Leopoldstatt. (*c*) Dragoner.

non

non haberet nisi cohortes suas ordinarias quinas, sub suis singulas Capitaneis, viros circiter sexcentos, & aliquot, quibus omnibus Daniel Millerus, Tribunus titularis, vir senio jam gravis, at vigens, militaribus aliás à primis juventæ annis innutritus præest, immisit sequentes:

Marchionis de Grana legionem sub Vice ejus Tribuno, Georgio Henrico Samoratsky viros mille octingentos - - - 1800.

Ludovici Wilhelmi Marchionis Badensis sub Vice item Tribuno Comite Tyllo, viros - - - - - 2000.

Strasoldianam item vix numerantem viros - - - - - 1100.

Et deniq; Wallisium Baronem Tribunum cum septem suæ legiōnis cohortibus, viros - - - - - 1300.

In universum si connumeretur præsidium loci vetus, & ordinariū, de quo supra, viri - - - - - 600.

Reliquit Jaurini propugnatores - - - 6800.

His ita ritè dispositis Dux canit receptui, traductoq; per pontem Araboni minori instratum Jaurinensibus excubij custoditum equitatu, continuatis itineribus Altenburgi (a) consedit. Hic, cum propter viarum arcta (passum vocant) fit mora, expilandam Dux connivet Urbeculañ militi: ne, quod boum istic erat, aliarumq; humanæ vitæ utilium rerum, hosti forte secuturo, ut factum est; cædat in prædam: ægrè incolis hanc expilationem ferentibus, donec insecuto deinde hostis exercitu, mitiùs tolerarent, quòd flammà is omnia devastaret. Sicq; superatis ijs viæ angustijs relectum iter est in Kitseensia prata, ubi duobus ferè mensibus ante fuerat armilustrij instituta solennitas.

Magnus, quem vocant, Vezirius, Mustapha Bassa dictus, qui hunc exercitus nostri receptum metu esse factum interpretabatur, deliberat cum Bassis suis, quid agendum? an persequendus Christianorum exercitus? an obsidendum sit Jaurinum? statuitq; persequendum exercitum: quod cedendo signa daret fugientis, motisq; mox castris idem legit præeuntium iter.

Eo auditio, cum nec in Kitseensibus pratis contra tantam hostium molem tutum videret exercitum Dux, Viennam movet, præmisso Æneâ Comite à Caprara Equitum Generali, qui rem hanc, & alia Cæsari referat: Is viæ sibi socium, cum bona Ducis venia, adlègit Cognatum suum Philippum Leopoldum Comitem à Montecuculi, Cataphractorum Tribunum. Dux au-

(a) Hungarice Ovarini.

tem præteritis Wolffsdalio, Haimburgoq; sextâ Julij castris conse-
dit Altenburgi-Teutonicorum (a) quod vocant, indeq; sub solis or-
tum, cum promoveret exercitum, impedimentis, majoris securitatis
ergo, longo syrmate præcedere jussis; accidit, ut turma Tartarorum,
mixta Turcis, Hungarisq; ductoribus, (ter mille circiter) qui Lei-
tham amnem tranarant, à lœva cum horrido ululatu profluentes è
sylvula Petronellam inter & Elend pagos, irruerent in legiones ali-
quot alæ sinistræ, quæ post impedimenta præduces equitabant in e-
xercitûs fronte. Hæ inexpectatâ illâ irruptione, inconditâq; barba-
rorum vociferatione confusæ cum ob densissimos pulveres vix se fu-
osq; ab hostibus dignoscerent, eoq; haud starent sat firmo pede, sed
dissipatis ordinibus, sequentes etiam legiones confunderent; factum
est, ut prædones tumultuaria céleritate pro more usi, in Sarcinarios
vectores, lixas, atq; calones conversi, frameis hos suis viictimas im-
molarint; dum interim socij currus atq; impedimenta diripiunt: In-
ter cætera, supellex argentea Ducis Saxenlawenburgici, Principisq;
Croiy, & Æneæ Comitis Caprara, Generalium virorū, istic amissa est.

Ingentes ille casus concitavit in exercitu motus, ac turbas, quod
hostis, quem post se destituerat Dux, velociori nunc per alias ad
lævam vias instituto cursu, itineribus nostrorum antevertens, au-
daci planè facto irrueret in imbelli lixarum vulgus, quod tutum cre-
debat Dux eorum præsidio, quos præduces sarcinis protegendi di-
caverat: moxq; ut de genuino rei statu pleniùs constabat rato, ma-
jus esse periculum, cui implexa nunc exercitûs pars, totum fors in
plenam aciem postulatura esset exercitum; alias jubet ocyus priori-
bus succedere legiones, quæ prædones retundant.

Hæ dum cursum accelerant, vident, quod Julius Ludovicus, Sabau-
diæ Princeps Dimachorum Tribunus, annos circiter viginti quatuor
natus, recollectos ex suis, qui fuerant, uti diximus, nonnihil ante di-
spersi, magnâ virtute exæstuans, ceu qui maculam suorum vellet e-
luere, ipse primus in hostem educeret, rem planè viriliter agens, do-
nec à suis denuò per dimicandum seclusus, cum adhuc masculè pu-
gnaret paucis tantum stipatus, cum equo corrueret, cui insedit: hu-
jus cervicem cum secuisset framea Tartarus, cadaver animalibus ad-
hue actum spiritibus resupinatum incumbit insidenti; ephippij nodo
pectus ejus adeò conterente, ut levatus suppurratum expueret san-
guinem, eoq; malo omnem deindè medicorum artem superante, ex-

(a) Deutsch Altenburg.

tin-

tinctus Princeps Viennæ est decimâ tertiat die Mensis Julij , dignus longiori vitâ, &c. Eodem fato N. Areschotti Dux (cujus prænomen nobis ignotum mansit) in floridissimo ætatis Vere: dum animosius hostem lacepsit, sclopeti pilo pluribusq; vulneribus frameâ confessus occubuit. Ingens hâc occasione eluxit valor Serenissimi Ludovici Wilhelmi Marchionis Badensis , Generalis Mareschallî Locumtenantis , quo dissipatas jam legionum aliquot in devia abeuntium turmas stitit, suisq; postliminio ordinibus restituit.

Interea prædones Tartari , quamcunq; subitanèâ eâ, tumultuarîâ, & vix horariâ irruptione obtinuerant prædam , cum vertere se , & glomerari animadverterent nostros , celeri fugâ præcipites secum abducunt , relictis suorum centenis aliquot , e nostris plus minus quinquaginta desideratis.

Ils persequendis si insisteret jussisset Dux , timere debebat , ne integer fortassis aut potior pars hostilis exercitus ex intervallo subsecuta , in nostros irrueret , velitationibûsq; innodatos teneret , quo ad usq; plena , uti supra innuebamus , acie , at inæquali tum Marte , dimicandum fuisset , Cæsare nondum salvato. Unde satius habuit , sedatâ eâ tempestate , compositoq; tumultu , continuato adhuc paululùm itinere die septima Julij Vischamundæ subsistere.

Cæsar acceptis hisce per Capraram Comitem nuncijs , hæret an- ceps , quid factò expediatur , convocatisq; oxyus Ministris , eorum sen- sa depositis : quorum suffragia , cum unanimiter suaderent discessum , hæsitatum in eo est , quâ viâ abeundum foret.

Erant , qui arbitrabantur , cis Danubij amnem per montana Campi- lillum (a) esse properandum : quod ijs superatis , illac per viarum plana deinceps citius Cæsar Lintzium posset deferri. Contra dis- cerebant alij : tutiùs processurum Cæsarem , si trans-Danubio itinere perget : cum enim Turcarum agmen abs hac Danubij parte , quâ Vi- enna est , nobis immineat , persequaturq; exercitum nostrum , uti Ca- prara retulerit , videamusq; nostrorum partem cum sarcinis , & im- pedimentis sub mænibus Urbis jam tum consistere , haud dubium esse , quin integræ eorum vires ab ea Danubij parte incedant : neque enim auditum haçtenus esse , nec etiamnum audiri de hoste , qui transi- set Danubium : proindè dictamine rationis humanæ doceri , tuto rem fore receptum Augusti , quem superatis hîc Danubij pontibus sit am- plexus : Vix enim Urbe excefurum , cum mox per exploratores nequam

nequam (quorum haud pauci delitescant in Urbe) de abitu edoctus Turca , plura velocium equitum millia post Cæsarem sit immissurus , qui unâ die deproperaturi sint iter , quale Cæsar cum Aula vix quatuor dierum intervallo confecerit , sicque indubie in manus hostium (quod benignissimum Dei Numen avertat) deventurum .

Passim placuit hæc ita opinantium sententia , in quam manibus mox , pedibusque , quod ajunt , unanimiter itum est , confessimq; indicuntur , & parantur omnia (quantum in confusa ista celeritate fieri poterat) quæ serviebant itineri maturando .

Hæc fama divulgata , & quod viderentur impedimenta , & sarcinarij currus , absq; rectore & ordine , fugitivis similes mœnibus Urbis succedere , mentientes , ut fit , res nostras pejori loco esse , ac erant , tanto mox pavore replevit urbem , & Urbis circumdata , ut abituro Cæsare nemo jam videretur velle remanere Viennæ : quidquid e- quorum , quidquid curruum , & lixaruum ullo modo reperire erat , in fugam conductitur ; campinguntur in carros , & viles vecturas hone- stæ Matres cum filiabus & filijs , deseruntur ædes cum suppœlectile pretiosa , vino , frumento , omnisiq; generis annonâ , convasantur dun- taxat pretiosa quæque , quæ in arctum campingi facilè possunt , au- diuntur lamenta , ejulatulq; plorantium haud secus , ac si Turca jam tum dominaretur Viennæ , ita pomeridianum tempus exactum est .

Vespere circa horam octavam , die septimâ Iulij , Viennâ per Aulæ portam evectæ discedunt Cæsareæ Majestates cum Augusta sobole , gynecæis & aula , superatisq; , queis in alterum Danubij litus iter est , pontibus (M) Corneoburgi , oppido , duob⁹ aut ferè tribus mi- liaribus distante , pernoctant . Ocyus præmittitur è præsidio urbico Capitanus , Thadæus de Hassie dictus natione Hybernius , homo prudens , & manu fôrtis , cum legionarijs ducentis , ut pro Augustis istic pernoctaturis , excubent ; posterâ die , Cæsare ulterius iter suum promovente , reversuri , ut factum est ..

Tanta autem fuit sequacium curruum , vecturarum , equitantium , & pedes fugientium confusa & incondita multitudo , ut Viennam om- nem hominibus exinanitam jurasses : adeò volebat nemo videri fu- giendo postremus fuisse , suntq; qui asseverent , ultra sexaginta ho- minum millia discessisse eâ nocte : & tamen initus deinde obsidionis tempore eorum numerus , qui remansere , adhuc alia sexaginta ho- minum millia , armis tractandis apta , præter militiam , & debiliorem sexum .

sexum censuit. Continuata est autem ea fugientium prurigo adhuc in sequentes aliquot dies, ut non immerito metus sit, posteriorum in fuga multos, incendiarijs Tartaris cessisse in prædam, prout de varijs fama increbuit. Multi currus suos adeò onerarunt, ut vix ultra pontes profectis rotæ crepuerint, extra consilium positis, & quo se verterent, nescijs. Ante tamen, quam Cæsar discederet, ne desolatam omnino destitueret Viennam suam dilectam, de duplice ei clementissimè providit gubernio: politico uno, altero militari; & de militari quidem postea differemus amplissimè. Politicum consistit in Viris quinque, ut puta:

Casparo Zdenko Comite à Capplirs, Cæsareæ Majestatis Camerario, Consiliario Statûs, Rei Tormentariæ Præfecto, & Commissario Generali plenipotentiario, nec non Consiliij Aulico-bellici Vice-Præside.

Francisco Maximiliano Comite à Molart, Cæsareæ Majestatis Camerario, Consiliario Statûs, Austriæ Mareschallo, atq; Colonello Provinciali.

Rutgero Ernesto Comite à Stharenberg, Cæsareæ Majestatis Camerario, Consiliario Aulico-bellico, Generali Tormentariæ rei Præfecto, atque Urbis Viennensis Arctifundritâ.

Joanne Oswaldo Hartman, Excelsi Regiminis Austriae Cancellario.

Quibus demùm adsciri Cæsar voluit unum de Camera Consiliarium, & singulatim quidem Carolum Theophilum ab Aichpühl: quod autem is etiam jam tum se cum familia sua recepisset, adsciri huic Collegio visum est Capplirio Carolum à Belchamp.

Hisce, ceu Caput & Directorem, præposuit Cæsar primum, quem scripsi, Capplirium.

Quæ dum in Cæsaris profectione fiunt, atq; Viennæ, Vischamunda (ubi supra narrahamus, die septima Julij quâ Cæsar abivit per noctasse Duce) conflagrat: pauloq; post, concubia nocte Schwechatum, flammis Viennæ conspicuis, tantoq; iterum pavore cives, incolasq; replentibus, ut, qui cum Cæsare nondum excesserant, jam de vita sua, atq; salute penitus se desperare profiterentur: sed imminuit pavorem fama, quæ tulit, non hostile id facinus esse, sed lizarum nostrorum improbum opus; qui, incuria ne scribam? an pe-tulanti nequitia ignem & lumina incustoditè circumferentes, suc-

cenderint oppidorum partem: donec Dux ipse metum omnem abstergeret, qui posterā die (octavā Julij) summo manē clangentibus tubis, ac tympanis, integerrimo ordine cum equitatu Cæsareo Viennæ mœnia, in civium conspectu, prætervectus trajecto per pontem sublicium (A.) Danubij ramo (a) qui medio supra Viennam milliari, à pleno Alveo amnis divisus Nusdorffij (R.) & Viennam, qua meridiem ea spectat, præterluens, suoq; se alveo medio infra Urbem milliari reddens, (N.) Insulam facit complectentem ambitu suo facile millaria duo, Divo LEOPOLDO cognominem, templis ternis, & Monasterijs binis, tum civitate integrâ vix minore Vieñâ, quæ paucis ab hinc annis, abactis Judæis, à Christianis incolitur, horto Cæsaris amplio & magnifico, alijsq; Magnatum deliciosis sumptuosissimisq; palatijs luxurianter decoram: in qua Dux cum equitatu consedit.

Vix istic consederat, cum mox die posterā visa sunt innumera passim incendia, elonginquo per circumvicina Hungariæ sumigare, queis Pagi, Vici, Arces, Castella, Oppida, Urbes, ipsæq; demum in campis fruges absumptæ sunt; continuatiq; hi ignes diebus, ac noctibus, Austria quoq; in circuitu, quidquid ejus est, Neostadium usq; sunt depasti: Castrum ferreum (a) excipe, Sopronium (b) & Giintzium: quæ quod aut nomen invocassent Archiballis Tecklađij, aut ejus se deditios esse profiterentur, flammis intacta steterunt.

In Austria Neostadium hucusq; servatur, octo milliaribus Vieñâ distans, Urbs amœna & nitida, Leithâ amne, muris, mœnibus, & vallis circumdata, Arceque, Cæsarum æstivo à curis secessu saepius nobilitatâ, illustris, regiâ in Styriam viâ. Hæc adventantibus initio incendiarijs nebulonibus, suamet Civium arma obvertens, facile ab inermi illa, & meticulosâ scurrarum colluvie se exemit; donec immisus istuc Tribunus Comes à Castell cum sua Dimachorum legione, Urbem hucusq; servat incolumem.

Sunt hæc truculenta Tartarorum facinora, quæ patrant Turcarum prodromi. Horum enim agmen ferè inermes, nisi frameis instructi præcurrere, & ubi nulla resistentia, omnia ferro, flammis, & metu involuere illorum mos, & usus est: ut dilabentibus circum circa præ pavore Regionum incolis, aut trucidatis, aut in captivitatem concatenatis, quos deinde ipsis Turcis divendant, secuturi in futurum, à nemine habeant timere periculum.

Quam-

(a) Eisen-Statt. (b) Edenburg.

Quamvis à militiæ œconomia alienum videatur redigere in cinceres ædificia, & devastare multis in circuitu miliaribus omaia, ubi vicinam Urbem obsidere volueris: unde pro hominibus annona, pro equis pabulum deficit, queis abundare alias potuisses.

Flammivomi autem hi præcursorres Tartari paulatim, & Viennæ viciniores facti, nulli deinceps pago, nulli in pagis & vicis horto (ō quanti deliciarum sumptus! quanta palatia!) pepercerunt, redigentes in cineres, quidquid cis Leitham ad Danubium amnem, quā Hainburgum stetit, Cæsisq; montibus (a) (E.) locorum interjacet Claustro-Neoburgum (C.) usque, duobus Viennâ miliaribus, ad superiorem Danubij ripam situm, quod est servatum.

LECTOR: Parcendo nobis labori, indulge, te ut oremus, velis Geographicam (b) Austricæ descriptionem Vischeri, aut alterius cuiusvis, qui placet, scrutari, locorumq; in circuitu omnium nomina legere; & quotquot istic expressa inveneris, crede, omnia, nullo dempto, crudeli barbarorum igne esse absumpta, hominibus, reliæ suppellectile & sedibus suis, aut in Urbem, aut in saltuum abdita fugientibus, aut frameis Christiano-Mastygarum dissectis, aut in misserrimam, & pejorem morte captivitatem abductis.

Neque hic stetit insidianum Christiano sanguini belluina ferocitas: per montana penetrantes, ad plana Austricæ trans saltum Vienensem (c) (K) dilapsi, in sylvestres etiam pagos, oppida, sumptuosaque diversorum ordinum asceteria postquam ea in planam, ac Vicis & Arcibus ad stuporem orbis fastigatam Regionem grassati, ferro, flammâque desævierunt, usque ad Ibissem (d) amnem, uti captivi istic facti, & postliminio ad nos in Urbem transfugæ nos docuerunt. Neque in saltuum abditis, aut in densissimis ferarum cubilibus, aut vallium abstrusis, tuta fuit fugientibus mansio: sylvæ enim, & sylvarum invia indagata sunt venaticis canibus, quorum ad hoc usus est Barbaris hostibus.

Quanta jam in tanto terrarum tractu sit facta strages, quæ calamitates obortæ, quis hominum pavor & metus, & miseriæ, perpendat qui voluerit: nos, qui adhuc Urbi inclusi sumus, dum hæc scribimus, nihil desuper certi statuere possumus, nisi quod hujuscemodi devastationibus, insipientibus, & commiserantibus nobis, impensi sint dies septem. Quos inter pulveris nitrati globorumque

majorum ingens copia quotidie secundo Danubio feliciter adhuc,
& in tempore Viennam delata est.

Dum interim visi sunt quotidie in Colle promontorij ad Nosocomion (a) Sancti Marci (D.) agere stationarias excubias (b) pauculi, unde per Vinearum declivia observari Vienna poterat, ubi gnaviter & strenue laborabatur ab omni hominum conditione, & sexu: Sacri profanis mixti, senes cum junioribus, mulieres & famulæ, omnes, omnes operam navabant effodiendæ terræ, cui sudes, & pali per extimas fossarum spondas (2.) mœnibus adversas (c) infierentur, ut post hos, ceu repagula securiores starent propugnatores nostri, futurum hostis impetum propulsatur: magno certè Urbis obfessæ bono: quippe quos sudes, & palos postea nunquam assaltu superavit hostis, uti nos credebamus fore; sed necesse habuit continuato noctu diuque labore suffodere, humoque in altum supra palos egesta superne sibi viam multâ suorum cæde consternere, quâ demum quartâ prius obsidionis hebdomade penetravit in spondam. Alij planabant exstantia fossarum aspera, rasâ ligonibus, & palis scabritie, ut æquales essent, & profundiores, difficiliore que scandendo. Sic per ambitum Urbis sepiendæ occupatos turbantur Equitum alæ (nam peditatus nondum advenerat) extra urbem inter portas & portas mediae, à Duce interdiu collocatae.

Sub hæc dies illuxit Julij mensis tertia & decima, cum matutino tempore sub horam octavam glomeratim apparent in eodem promontorij ad S. Marcum colle (4.) ingentes Equitum turmæ, quæ deinceps descendentes per vinearum declivia eminūs Urbem obequitant, tam spissè densatæ, ut leporibus per vineas indagandis dare operam diceret: proprius autem ad Urbem (credo per incuriam) vectis, obmurmurabant (quæ quidem paucissima tunc adhuc disposita erant) tormenta è mœnibus, quorum displosionibus eviscerati in tanta spissitudine plures, reddiderunt cæteros cautiores, ut altiora repeterent; atq; è longinquo magis, per Montē Vieñensem, quem (1) (d) vocamus post Suburbia ad montes usq; Cæsios (e) (F) & Danubij ripam (H.) deflectentes, situm Urbis, aditus atque recessus explorarent

(a) Kranken-Haus. (b) Schildwacht. (c) Sic nos ex Strada Jovio,
& Gramundo nominabimus in futurum Contrascarpam. (d) Wiener
Verg. (e) Galenberg.

rent quām diligentissimē : quo facto sub meridiem eadem montana repetentes, postque fanum S. Marci declives, tunc quidem desierunt videri. Id, quod Comes à Stharenberg, qui pauculis dūtataxat ante diebus à peditatu, & tormentaria re lentiū proficiscente sejunctus, Viennam intraverat, cum pro certissimo signo haberet, rorarios (4) eos esse, qui secuturo mox agmini obsidendaque Civitati præluderent ; Suburbia jussit succendi , quod pomeridianis ejusdem diei horis est factum, tam luctuoso intuentium passim spectaculo , ut vetus & fleibile illud Trojæ excidium nostris temporibus repeti etiamnunc Viennæ jurâsses.

Consideret, qui Viennam unquam vidit, qualis & quanta fuerit templorum , asceteriorum , hortorum, ædificiorum , palatiorumq; strages & ruina ? quæ possessoribus damna ? seris nepotum annis à posteris nostris haud instauranda.. Eidem fato destinata jam erat insula Leopoldopolitana , (B.) præmonitis Religiosis istic Viris & Incolis, ut se suaq; in Civitatē transportent ocyus, quæ salva vellet : ast, quia magna inibi annonæ militaris copia ad Cæsarem & Urbis conservarionē spectans, quæ secundo amne defluxerat , erat deposita, nec in momento inde deduci poterat, parcitum quidem à nostris tunc loco est ; sed tamen pauculis post diebus ab ipsomet hoste succensus in cineres abiit , annonā militari jam tum inde salvatā , uti suo loco dicemus. Cæterū hodie peculiare nil accidit , nisi quòd Equites nostri in excubijs huc illuc ad suburbiorum limites distributi modicas subindè velitationes cum Turcis fortè fortunā illac dilabentibus subierint : ubi factum , ut scedulae binas , ditionem Urbis postulantes , à Turcis per terram sparsas , inventas nostri asportarent ad Generalem, qui autem nunquam responso eas dignatus est.

Sub hæc ad castra Ducas per adversam Danubij continentem (F.) advenerat Generalis Mareschalli Locumtenens Comes Schultzius (quem trans Vagum curassè hactenus , supra descripsimus) trahens secum Virorum bellatorum millia facile septem , quos inter Polonibis mille , qui aliquot diebus ante per Silesiam, &c. è Polonia proficiscentes , commodū se illi ad Moraviæ fines conjunixerant , anteambulones eorum , qui deinceps cum Rege sequentur. Sed & peditatus ante in Insulam Schüttam sepositi unā cum tormentaria re nunc adrepentis initium fecit Tribunus Fridericus Sigismundus Co-

mes à Scherffenberg , (quæ gens alias hoc habet peculiare ut Do-
minorum à Scherffenberg notione utatur) qui cùm suâ legione ho-
die succedens Urbi asleveravit , postliminio adfore cæteras legiones
pedestres , quæ Viennam defendant : neq; enim eò tunc usq; erant in
Urbe , nisi præsidium ordinarium constans , credo , viris mille ducentis ,
& media Keysersteinij legio (viri mille) sub ductu Vice-Tribuni
Schenckij (viri prudentis & cordati , cujus specimina dedit obsidio-
nis tempore) quæ Pragâ aliquot hebdomadibus ante advenerat .

Et adfuit certè peditatus eâdem & posterâ die , unâ cum Tur-
carum agminibus hoc discrimine , quo Turcæ intermedio amne cis
Danubium ante Urbem castrametati , peditatus autem trans flumen ,
uti non semel jam retulimus , proficiscens innocuè demum per pontes
(F.) & Insulam Leopoldopolitanm (B.) in penetralia Urbis ma-
gno est omnium solatio & applausu receptus ; quem , sicut Genera-
lis Vigiliarum Magister , Comes à Sereni , ex mandato supremi re-
rum militarium in Urbe Praefecti concubiâ nocte introductum , per
extimas fossarum spondas (2.) in circuitu Urbis disposuit , ita tu
eum , Lector , in classes suas distinctum hic à nobis descriptum habe .

Generalis Comitis Stharenbergij legio sub ductu ejus Vice-
Tribuni Georgij Mauritiij Baronis Kotlinskij Silesitæ , virorum bis
mille - - - - - 2000.

Keysersteinianæ legionis medietas sub ductu Vice-Tribuni
Wolffgangi Henrici Schenckij , viri mille - - - - - 1000.

Mansfeldij Comitis legio , ejus , qui in Hispaniâ Legatum agit
pro Cæsare , sub ductu Vice ejus Tribuni , Alexandri Leslei Comi-
tis , qui Generalis rei tormentariæ Praefecti frater est , virorum bis
mille - - - - - 2000.

Comitis Caroli Ludovici Souchij , magni istius Generalis Rad-
wigis olim filij , legio virorum bis mille - - - - - 2000.

Comitis Scherffenbergij legio , virorum - - - - - 2000.

Baronis Beckij legio virorum - - - - - 2000.

Ludovici Antonij Principis Neoburgici legionis pars , id est , co-
hortes septem , quibus aderat ipse Dux in armilustrio , cum autem po-
stea aveheretur cum Cæsare , substituit Vice-Tribunum suum Baro-
num Ariezagam numerantem viros mille ducentos - - - - - 1200.

Legionis Heisterianæ pars media sub ipsomet Tribuno Barone
Siberto Heistro præsente , viri - - - - - 1000.
Prin-

Principis Ferdinandi Caroli Würtenbergij legionis pars sub ipso
Principe præsente , constans viris - - - - - 1000.

Altera pars sub Instructore legionis (a)Francisco Ferdinandu Kuck-
länder Linzium profecta, ut Cæsari inserviat.

Dimianæ legionis cohortes tres, quibus nec Tribunus, nec Vice-
Tribunus , nec legionis Instructor adest (hi alibi in Silesiâ occupan-
tur) horum omnium vices Capitaneus in ordine senior agit, con-
stantes viris - - - - - 600.

His accedit Equestris legio Baronis Dupygni Tribuni , viro-
rum - - - - - 600.

Et demum præsidium ordinarium Civitatis , in tres cohortes di-
visum , quarum singulæ numerant viros 400. in universum - 1200.

Summa militum stipendiariorum , qui Urbi Viennensi propu-
gnandæ dicati sunt - - - - - 16600.

Nota autem benè hic Lector , quod hunc adscriptum à nobis
virorum computum iniverimus secundùm illum numerum , quo le-
giones constare ab initio campiductus debuerant ex formulâ singu-
lis Tribunis abs Imperatore præscripta : non autem , quod reverà
adhuc tot sub singulis legionibus capita censa sint , cum Utbi propu-
gnandæ succederent ; quia alibi jam tum aut cæsi , aut læsi , aut ægri
quamplurimi , aliquot millibus supra descriptum à nobis numerum
imminuerunt , adeò , ut ex quatuordecim millibus supra computa-
tis cum legiones sunt integræ ; vix decem millia effectivè Vien-
nam subierint , quorum firmâ operâ uti Generalis contra Turcas pos-
sit. His autem qui præsentes sunt & rebus gerendis apti , præsunt ,
qui sequuntur :

Comes imprimis Stharenbergius , ceu Generalis loci Guberna-
tor in capite.

Ejus in præsidio ordinario Urbis Locumtenens , aliàs Generalis
Vigiliarum Magister , & Tribunus legionis pedestris , Wilhelmus Jo-
annes Antonius Comes à Daun.

Tum ordinarius præsidij urbici Instructor , sive supremus Vigilia-
rum Præfctus , aliàs & ipse Tribunus Ferdinandus Marchio Obbizi : quos continuatâ serie hic ideo connectimus , quia his continua
præsidij cura commissa est.

His quarto loco apponimus alterum Generalem Vigiliarum Magistrum Joannem Comitem Sereni, eujus legio Zathmarini curat; ipse autem curandæ valetudinis ergo, impetratâ Viennam commendi licentiâ, adest in tempore, quo variato in dies singulos ordine, alterna cum Daunio Comite præstat officia.

Cæteros Tribunos atque Mandritas suo jam ordine suprà descripsimus, qui omnes tam concordi animorum voluntatumq; harmoniâ sibi invicem deferre constanter sunt visi, ut & ipsi legionarij inde ductis exemplis unanimes, laudabili æmulatione vigilias, æstum, perieula, plagas, vulnera, ipsam deniq; mortem, casu sic dante, tolerarint alacriter.

Hoc tamen monendus hic nobis es Lector benevole, quod bono in militaribus ordini servando, omniq; confusione evitandæ conducere visum sit, si duo seniores in ordine Tribuni præsentes, charactere quopiam honoratiore, qui inter Generales Vigiliarum Magistros & Tribunos medius esset, insignirentur; proinde hi duo Comites de Souches & Scherffenberg usitato Gallis vocabulo, Brigadieri sunt dicti, hoc ordine officia sua locantes, ut, quotiescumque alternis diebus ac noctibus Generalis Vigiliarum Magister Comes à Daun ad curationem rei accederet, huic præstò esset, qui Brigadierorum esset officij ordine senior Comes Souchius, & sub ipso Baro de Beck, Tribunorum, qui præsentes sunt, senior, unà cum alijs subalternis. Cum autem alter Generalis Vigiliarum Magister Comes Sereni curaret, Brigadierus alter Comes à Scherffenberg aliisque Tribunus aut Subtribunus, cuius id tunc postularent vices, assisteret; Marchione Obizzio præsidium Urbicum ordinarium ex præscripto curante.

Hisce diebus Carolus Eugenius Dux Croyus, Generalis Vice-Mareschallus, destinabatur Jaurinum, ut istic in absentiâ Principis Hermanni Badensis præcesset illis copijs, quas Dux huic loco, uti suprà narrabamus, immiserat; qui navim simplicem non armatam generosè conscendens, secundo Danubio Turcas prætervectus, qui in continente proficiscebantur, Posonium, tum Commoronium prius infra Jaurinum defluxit, indeq; per Schüttam Insulam, adversâ Danubij ripâ per continentem relectâ, sese superato amne in Urbem conjectit.

Sed & Viennæ è Nobilitate fuere complures, qui cum possent in quiete

quiete vivere foris , maluere tamen in Urbe eandem cum Viennensis sortem subire , exemploq; suo animare & excitare propugnatores . Maximilianus imprimis Comes à Trautmandorff , Tribunus quondam in Belgio , qui quaternis cohortibus hoc obsidionis tempore Præfectus est , uti suo loco dicetur : Joannes Carolus Comes quinque Ecclesiensis , qui circuli istius in Austria , quā malum omne prorupit , Capitaneus Provincialis , elegantis sui & Aviti prædij bulletis vicinus , Viennæ maluit , quā alibi expectare rei finem . Godfridus Comes à Salzburg , Subtribunus Keryanæ Croararum legionis , qui artridide in campo laborans , cum valetudinis curandæ ergo Viennam esset delatus , istic & sanitatem obsidionis tempore recepit , & Stharenbergio Generali se obtulit , ad eruptionem adorrandam in hostem , collectis in cuneum his , qui equis armisq; instructi cum ipso vellent aleam tentare . Fuit & Henricus Fridericus Baro à Kielmansegg , supremi Venationum Magistri , Francisci Christophori Comitis Kievenhilleri vices gerens , qui 200. Venatoribus imperans per tres primas obsidionis dies constanter in propugnaculo Aulæ excubans , ingens hosti per obsidionales vias laboranti damnum dedit , ipso cum cæteris suis artis jaculatoriæ gnaris adeò certos ictus in capita hostium destinante , ut vix ulla displosio fuerit sine cæde . Vidimus ipsi , quando virum talari holosterica insignem , mitratum (quem Machinatorem bellicum fuisse postea didicimus) dum in spondam obsidionalium eluctatus istic factuosè obambularet , trecentis à propugnaculo passibus & ultra distantem sclopeto transfodit , alterumque , qui huic levando accurrerat , socium lethi repetitâ displosione dedit . Fuit & Comes Vignancourtius , sui juris & liber , qui olim in servitio Cæsaris Corneoburgij , Cremsiisq; & alibi varia præclarè gessit , Annoquè 1657. Regis Galliæ Legatum ad Cæsarem Ferdinandum Tertium , glorioissimæ recordationis , aliosq; per Imperium Electores & Principes non sine prudentiæ specialis notâ peregit : & Matthæus Colalto Comes S. Michaëlis , olim Croatarum Cæsaris Tribunus , Venetijs oriundus , qui , quod munere militari nunc vacaret , Generali Stharenbergio assiduus comes latera stipabat , & ubicunq; prudentis strenuiq; is militis operâ uti necesse habebat , illic præstò Comes Matthæus erat , operam suam collocans haud secus , ac si Cæsaris mereret stipendia . Ernestus Sigismundus à Zetteriz , nobili in Silesiâ gente fatus , qui ob litem

Jureciale, cui coram Tribunal Bohemico Aulico Vieñæ erat implicatus, cum hoc advenisset, nondumq; confessio negotio, comoditate ad suos in tempore remeandi destitutus, involueretur obfitioni, maluit in Civitate nobiscum, uti eventus docuit, securus manere, quām in fugâ inquietus palare.

Fuit & Cornelius à Rümlingen Tribunus, parvus staturâ, sed major prudentiâ & longo militarium rerum usu vir, ante annos 62. natus, qui podagrâ afflictus cum aliud vix posset curare, gratus fuit lateri Generalis, cui Comes domesticus consilia contulit, abs hoc vicissim humanissimè habitus. Deniq; & Franciscus Sigismundus Rostauscher à Reithoffen, Nobilis Moravus, olim & Adjutans Generalis, & legionis Schultzianæ Dimachorum Instructor supremus, Vir gnarus & solers, expeditus ad exequenda, quæ mandare per hunc hac illac decreverat generalis.

Sed & Cives alijq; diversissimi Status & ordinis Incolæ in suas authorati legiones atque Vexilla quotidie in armis excubabant assignatis locis, queis dies noctesq; sub suis singuli Mandritis rem cuarent pro publico. Distincti in classes sequentes:

Cives imprimis: qui in octo cohortes disperiti Capitaneum suum supremum agnoscebant Consulem Joannem Andream Liebenbergerum, ejusq; vices gerentem Danielem Focky, Senatorem Urbis & Ædilem curulem, vulgo Ober-Cammerern: hisce succedebant Capitanei alij, nempè:

Joannes Martinus Trach, Senator.

Joannes Ludovicus Braun.

Nicolaus Kraus.

Vitus Henrici.

Joannes Franciscus Peickhard, Senator.

Ernestus Josua Pentz.

Lothus Som.

Joannes Ernestus Zirck.

Horum locumtenentes fuere

Joannes Casparus Präms.

Michaël Schmickel.

Sebaldus Stemler.

Joannes Georgius Metzger.

Michaël

Michaël Berggauer.
Matthias Alxinger.
Joannes Christophorus Kiehn.
Daniel Plackner.

Signiferi.

Paulus Schmuderer.
Augustinus Schmidbaur.
Joachimus Klebet.
Joannes Melchior Zorn.
Joannes Petrus Rauch.
Martinus Ferner.
Joannes Paulus Mauser.
Hermannus Dubellius.

Singula vexilla numerarunt sub se:

1.	-	-	-	-	260.
2.	-	-	-	-	456.
3.	-	-	-	-	300.
4.	-	-	-	-	266.
5.	-	-	-	-	290.
6.	-	-	-	-	334.
7.	-	-	-	-	226.
8.	-	-	-	-	250.

Summa - - - 2382. viros.

Post hos fuit & Centuria virorum, quam Libertinorum vocabant, viri numero 335. quorum Capitaneus fuit Ambrosius Franck: Locumtenens Petrus Schwäbel: Signifer Lucas Härtel.

335. - - Fuit & Pistorum cohors, qui quamvis dies noctesq; occupati essent pinsendo pro tot hominum millibus pane, nec sæpe sufficerent, nomina tamen sua & hi dederunt, prompti gerendis & tractandis armis, quæ & per stationes suas locati sat aptè tractabant; numero 206. quorum Capitaneus fuit Jacobus Rudolphus à Kirch: Locumtenens Nicolaus Pürgler: Signifer Joannes Michaël Wagenlehner. 206.

Hos sequitur Lanionum, Braxatorumque Centuria sub Capitaneo Adamo Simone Smid ab Ehrenhaus: Locumtenente Wolfgango Steinhard: Signifero Caspero Taglang, viri 230. 230. Suto-

Sutores suam etiam numerarunt Centuriam; hujus Capitanus erat Joannes Wilhelmus Rudolphi, cæteri manserunt nobis ignoti, viros tamen numerabant constanter 400. Has cohortes, quod omnes ex civici ordinis quantumvis diversæ sortis & professionis hominibus coaluerint, uno continuo tractu huc adnotare voluimus, quibus, ceu etiam Cives, subjungimus Mercatores, quorum merces non quidem per officinas publicas venales quotidiè prostant, sed à quibus cæteri, queis mensurâ & pondere sua distrahere mos est, coëmptas tanquam à prima manu merces in officinis iterum suis ultnatim & libratim divendunt (Niderlager appellat vulgus.) Hi ceu locupletiores & honoratiores numerabant sub signis suis viros 256. qui omnes suas singuli bombardas proprio aere comparatas silice non fune ad concipiendum ignem instructas gestarunt, soluti hebdomadatim Mercatorum privato, non publico ærarij sumptu: Horum Officiales erant Wilhelmus Schüz, vir militaris, proiectæ ætatis, qui haud ita pridem legionis Badensis Instructor Supremus in campo fuerat, quem, quod vacaret, sibi ducem elegerant, ut ab hoc militarium exercitiorum magis rudes instituerentur in ijs, quæ ad arma aptè, & cum tractu tractanda pertinarent: post hunc Capitanus fuit Henricus Böller, Locumtenens Christianus Weyer, Signifer Wolfgangus Baurenfeindt, curaruntque aut in conclavebus, aut in propugnaculo palatijs, aut in receptaculis ejus, ubi continuo glandium imbre depluebant hostes, quibus multi trajecti sunt.

Huic civium & mercatorum militiae connectemus Officiales Cameræ, & eos, qui sub protectione curia Mareschalli, ut vocant, diversas artes & professiones excent: his author erat Wolfgangus Reuschel à Rœuschelsberg, vir septuagenario major, rationarium librorum per Austriam inferiorem Gensor, (a) & Consiliarius Cameræ, ut in eo Reipublicæ periculoſo statu, quo cæteri in urbe cives & incolæ suam quotidie operam locent propulsando hosti, ipsi quoque in partem veniant & laudem mereantur, ut qui mœndus clausi nihil etiam nunc ubi nulla jam alia commercia vigeant, utilius & dignius possint præstare. In ejus verba cum ultrò concederent plurimi, Generalem Reuschelius admonet, cuius consensu, in quatuor vexilla omnes distincti sunt, qui, exorato sibi pro capite Maximiliano Comite Trautmansdorffio ceu Tribuno, hunc

graft-

(a) Buchhalter.

grandævum senacionem pro supremo earum Instructore (a) cœū pri-
mum Centuriarum Capitaneum salutârunt, consentiente per omnia
Generali à Stharenberg, singulis centurijs sub se numerantibus viros
240. in summa bellatores plus minus mille, quorum Capitanei cæteri
fuerunt Michaël à Mülberg, Marcus Marcolini, Martinus Martini. Lo-
cumtenentes; Joannes Christophorus Zweich, Franciscus Jacobus à
Walckering, Claudius Bugnet, Fridericus Scornus. Signiferi: Leo-
poldus Ignatius Franciscus Wisendo, Franciscus Matthias Hueber,
Joannes Carolus Bertalotti, Joānes Bapt. Vitali: Hi alternis vicibus
curabant dies & noctes in Revelino extra portam Hungaricam, inter
35. & Braunianum 36. propugnaculum medio. Viri simul - 960.

Nunc ne Literati quoq; suâ laude priventur, de Universitate Vi-
ennensi, ejusq; militia quædam dicenda sunt. Conflavit illa ex Studio-
sis, ijsque, qui ei sunt aliquà ratione subjecti, centurias tres, in singulis
centurijs viros 236. conjunctim capita plus minus - - - 700.

His cum imperio præfecti sunt consensu Generalis ejus imprimis
Gener Baro de W'elz sub nomine Subtribuni, post hunc ceu supre-
mus Instructor Paulus de Sorbait, Cæsare & Majestatis viduæ Archiater,
literatorū fautor. Capitanei fuerunt Joānes Stanislaus Altman, J.U.D.
vir admodum cordatus. Christophorus Ignatius à Tiblern, Joannes
Müller J. U. D. quod tamen Tiblerus paulo post aditum munus, ei re-
nunciasset, Sorbaitus Instructor eam sibi cohoret subdidit substituto
sibi Sylvorio de Coseolloffa, qui Vice-Capitanei nomine eam curaret,
uti sanè curavit quā optimè. Ita quoq; quia Joannes Müllerus ob-
sidionis tempore obiit, eidem suffectus in Capitanei locum Josephus
Schmuz Philosophiæ Magister sive Doctor est.

Locumtenentes fuerunt: Dominicus Henner ab Hennenfeld, Jo-
ānes Ulricus Jeger ab Heisenberg, Signiferi fuere Joānes Jacobus Mei-
ster, J.U.S. Hieronymus ab Imendorff, J.U.S. Joannes Philippus An-
dreas à Raidegg, J.U.S. huic autem tempore obsidionis defuncto sur-
rogatus est Joannes Franciscus Wenighoffer. Præter hos alij adhuc
Officiales hisce literatis cohortibus adlecti sunt, quorum curâ ac o-
perâ omnis bona inter eos disciplina est culta: nempe. Adamus Suter
J.U.D. Schulteti munere functus, & Joānes Christianus Kirchster-
ter J. U. D. Universitatis Syndicus, cœu militiæ hujus Secretarius.

Hæ centuriæ plerumq; aut in propugnaculo juxta rubram por-
tam, aut in Revelinis Melicense inter & novæ portæ propugnacula,
aut Carynthicam inter & Hungaricam portam medijs.

(a) Obrist-Wachtmeister.

D

Hæc

Hæc quamvis diversis durante obsidione temporibus ita, uti hic scripsimus, sint administrata singula, collectim tamen hic adnotare voluimus, ut uno quasi intuitu Lectio advertas soleritiam, quam in armandis atq; excitandis in Turcam præter stipendiata militiam Civibus Incolisq; Generalis noster adhibuit.

Quæ media Urbi conservanda relicta sint, quis nervus belli, nobis haud constat. Hoc didicimus: Ferdinandum Principem Schwartzenbergicum, uno altero die post Cæsaris abitum Viennam reducem, quando jam Tartari in circumvicinis sæviebant incendijs, ultro & munificè consignasse manibus Leopoldi Comitis à Kollonitsch, Ungaricæ Cameræ Præsidis, & Episcopi Neostadiensis, quinquaginta florenorum millia, & vini urnas ter mille, ut servirent Civitati, & militiae quocunq; necessitatibus casu: quod totum Episcopus clam habuit in tempus oportunum. Accidit autem aliquanto post, ut coram hoc viro Episcopo institueretur de nervo belli sermo, Generali Stharenbergio inter cætetus haud diffidente, defecturum eum; nisi recentibus quibuscunq; & adventitijs medijs restauraretur. Ad quæ Præses Episcopus interroganti similis, quam credant summam obsidioni sufficietram? cui cùm responderetur centum Imperialium dalerorum millia, magnum rei benè gerendæ additura pondus; Episcopus Exemplo Candiae (cujus obsidioni quondam, ceu Melitensis Eques per Annos tres interfuerat) edoctus, quæm nempè præclare cœpta promovat Regina pecunia; ocyus animum applicat conquirendis nummis: Et, ecce, haud multos post dies ducenta florenorum millia & offert, & detegit, levandæ præsenti obsidionis necessitatibus dicanda: quæ deinde aut in paratis numerata, aut ex auro argentoque infecto in monetam cusa, in occurrentes quaquaversum casus & stipendia militum erogata animos universis, & robur addiderunt subeundi quævis pro libertate Urbis pericula.

Dies quarta & decima Julij mensis illuxerat, cùm omne Turcarum agmen cum innumeris curribus, quadrigis, bubalis, equis & camelis visum est appropinquare per eundem collis ad S. Marci verticem, exercitu magis post collem in declivi proficiente, unde observari è mœnibus poterat minus. Diffusa multitudo per circuitum Urbis est in semilunarem formam, à Danubij nempe ripa post S. Marci fanum, postq; suburbia Viennensia bustaq; pagorum & vicorum circumdata, Nusdorffum usq; (A.) duravitq; ea profectio & castrorum metatio in

in seram usq; noctem. Èà statim animadversus est hostis ante portam Cæsaream (4.) inchoare labores, quos nostri istic post sudes & repagula in extimis fossarum spondis curantes, inde sinenter continuatis sclopotorum explosionibus (quoniam pilis in incertum, uti fit, vibratis) impedire conati sunt, ut jam planè palparemus, nos esse obcessos.

Dux Lotharingiæ, qui hactenus cum equitatu in Insulâ Leopolopolitanâ (2.) substiterat, nec inde discessurus sperabatur, mutato consilio, per quatuor Danubij pontes, (G.) quâ in Moraviam itur, equitatum traduxit, qui hisce fere legionibus constabat : Æneæ Comitis Caprara, Comitis Rabatta, Comitis à Dunnewald, Caroli Comitis Palfij, cuius prænomen ad differentiam fratris ejus Joannis adscribimus, Comitis Gondola, Comitis Taffe, Baronis Mercij, Baronis ab Halleweil, Comitis Montecucoli, Comitis Gözij.

Tum Dimachorum legionibus, Comitis Schulzij Generalis, Comitis à Styrum, Principis Sabaudi, (qua post hujus mortem Heislero data) Comitis à Kueffstein, Baronisq; d'Herberville.

Item Croatarum legionibus, Comitis Nicolai à Lodron, Comitis Kery, & Petri Ricciardi : Deniq; Poloni, quos secum, ut supra narrabamus, adduxerat Schulzius, hi omnes excedebarunt cum Duce. Non dum autem planè exceperant, cum, ecce, Tartari permixti Turcis insequuntur, & pontibus instant : in quos immissus Schulzius, magna diu fortitudine rem egit, ut à pontibus hostem arceret, quod & demum obtinuit majori eorum disjecto : (G.) hac velitatione præter gregarios occidit Subtribunus N. à Gerstorff, & legionis instrutor Franciscus Comes à Trautmansdorff, viri ambo strenui & cordati.

Repulsus autem à pontibus hostis, in elegantissimum istic æstivarium Cæsaris (quod novam Favoritam vocant) aliasq; Magnatum splendidissimas hortorum delicias, ac deniq; in omne id, quidquid Templorum, Monasteriorum, domuumq; maximo numero fuit, voraci flamma grassatus planè rededit in cineres : Generali Vigiliarum Magistro Comite à Sereni, qui post curatas sui officij partes, tardius culè illac à Duce redux paucis comitatus transibat, à barbaris ferè oppresso, nisi concitato mox cursu, in pontem (1.) rami amnis elutatus, post se tristes aliquot fecisset dejici.

Optassemus omnes, votisq; ad DEUM factis, invocassemus proprium ejus Numen & Ducem, ut salvis pontibus subsistere potuisset in Insulâ, quâ servatâ servabatur omnis cum Cæsare communicatio, po-

teratq; & succursus suo tempore , & annona quotidie ex Bohemiâ, Silesiâ, Moraviâ, alijsq; Imperij etiam Romani plagis introduci in Urbe: ita opinantibus passim , qui mala post experti sunt , quæ deinceps ex hac Insulae destitutione sunt orta.. Sed graviora oportet ipsiusmet Ducis fuisse momenta , quibus is persuasus hanc ex Insula profectionem maturavit.

Illucescente die quintâ & decimâ mensis visebantur papilones sine numero tensi, & hostis in editiore naturâ solo, ducentis circiter passibus abs Urbe remotus, fixisse pedem in horto, cui nomen Rotenhoff, (5.) ubi linea circumvallationis duci jam coepit , & altius egesta humo apparebant suggestus, suggestibusq; superimpositi exiguis semper à se intervallis separati viminei plutei (a) magno numero : post quos plantata è nocte tormenta summo mane detonabant in mœnia; fosforibus lineas suas obsidionales (b) obliquis ductibus sinuosè prosequentibus..

Econtra in Urbe nostri tormenta tunc prius ex armamentarijs e-ducere, per propugnacula eorumq; toricas disponere, fissuras (c) per vallorum coronas fecare, exonerandis in hostem tormentis adinven-tas defectu pluteorum : afferes convehere humo ad instar pavimenti sternendæ , cui machinae curules insistant : vasa conquirere , sarcire saccos, queis humo, alioq; tormento fartis & superimpositis vallorum verticibus, tueri se libratores & sclopetarij contra densissimas barbarorum glandes queant, vimineorum pluteorum loco, quorum vix ulli adhuc fuerant in civitatem convecti. Fiebantq; haec solerti eorum industria, qui curabant rem tormentariam : Christophori Börneri imprimis , nobilis Megapolitani , Tribuni gnavi & gnari , qui trajectus globo sclopeti per genam, è die, quâ nos salvati sumus, nondum planè erat à vulnere salvus , ejusq; Subtribuni Joannis Martini Ge-schwind, læsi, sed restituti : Cujus Atavus olim Anno 1529. cum Vi-enna etiam tunc temporis obsideretur à Turcis, inter nobiles Caryn-thiæ ab Hieronymo Megisero Hystorico Austriaco fol. 1373. fuisse recensetur , qui rem in Urbe tunc præclarè gessisse laudantur : tum Capitaneorum Maximiliani à Weidlingen Bohemi, Michaëlis Mied Saxonis, Wilhelmi Jemagne Vieñenfis, Henrici Cresselij Dani, Christophori Zimmermanni Saxonis , Leonardi Behr machinatoris belli-ci, vulgo Ingegnier ; qui per suas singuli stationes distributi, indefessa semper

(a) Schanz-Röhr. (b) Lauffgraben. (c) Schieß-Scharten.

semper ac imperterrita sollicitudine aut librabant tormenta , aut val-
la,muros , mœnia inter cuniculorum hiatus & explodentium pila o-
beuntes,istud curabant sedulò, ne quippiam eorum deficeret, quæ ad
iterandas continuò displosiones , & per has inferenda hosti damna
conferrent : unde & factum, ut plures eorum eviscerati hostium glo-
bis,vitam gloriosè finierint. Jemagnius imprimis & Weidlinger,hic
rei quondam tormentariæ Tribuni ; alter viri honorati , in Dicasterio
Imperiali Aulico quondam Agentis, ut vocant, filius : Cresselius
quoque , vir artis suæ peritus, solers & audax , in propugnaculo Ca-
rynthiaco curans , dum è statione suâ alibi lustraturus discedit,in lo-
rica valli trajicitur. Michaël Mied, quamvis aliquot septimanis ante
obsidionem utramq; manum tormenti globo,dum id probaretur, a-
misisset, rem tamen non eò minus in hac obsidione perbellè gessit ;
Christophorus autem Zimmerman hodiecum decumbit ex vulnere
nondum curato ; idem accedit Leonardo Behr machinatori.

Die decimâ sextâ Julij visi sunt Turcæ promovere obsidionales
fossas (6.) eâ profunditate egeltas, ut operarum corpora duorum
cubitorum altitudine superarent , hinc tuta ijs in illis commeatio,
Cœperunt & pyrobolos piloclastros (a) ex mortarijs in Urbem vi-
brare , qui tamen , quod fartum utribus ignem non evomerent, nec
medij creparent, absque damno haçtenuis, & noxa fuerunt ; tametsi
eorum aliquot in contiguam mœnibus domum , pro Comicis ante
annos extructam deciderint. Hæc , quia lignea erat, ingens , & o-
leo illinita, timebatur citius ignem conceptura, cum gravissimo vici-
nioris aulæ,& Monasterij Patrum Augustinianorum, aliorumq; præ-
stantium ædificiorum periculo : unde & mox deportari cœpta & dis-
jici,donec recisis demûm Fabrorum operâ tibicinibus (b) tota corrue-
ret, trabibus in receptaculorum (c) per propugnacula postea structo-
rum usus, diligenter & cum fructu versis.

Dum autem missilibus hisce ignibus à foris in Civitatem evibrans
dat operam hostis, inventi sunt in ipsis Urbis visceribus,coempti,
uti fama tulit,ad id hostili pecuniâ, incendiarij nebulones , qui prom-
pto ad facinus fomite instructi civium domos , spatiösioraq; illustri-
um habitationum atria sub noctem oberrantes occasionem captar-
rent substruendi ignis, prout primâ statim obsidionis die , id est, deci-
mâ quintâ mensis compertum est. Illà enim detectus est adolescens

annorum circiter sedecim, qui puellari vestitu mentitus sexum (credo ut minus suspectaretur) ad stabula Scotensis Abbatiae ; (19.) adrepens , injecto clam fomite, ingens mox excitavit incendium ; quo asceterium Urbis elegantissimum & maximum , recenter postremis his annis à Joanne Schmidsbergero, Prælato loci, eodemq; Episcopo Helenopolitano , & Emerici Viennensis Episcopi Suffraganeo (qui obsidionis tempore obiit) ingenti ære & sumptu exstructum , unā cum templo ac templi turre conflagravit : serpente flammâ ad vicinum istic Arsenale, ubi ingens erat pulveris nitrati, annonæq; militaris copia. Et jam corripuerat ignis fornix valvas , quo pulvis erat reconditus , stabatq; exterius Cunibertus Wentzel à Wentzelsberg armamentariorum Subtribunus consilij inops , eò quod clavim nesciret, quā fornix recluderetur. Quando Generalis Vigiliarum Magister Comes Sereni , dedita operâ istuc , ut ubiq; curaret (nam Comes à Daun cum febri adhuc conflictabatur) accurrens , præsenti jam tum istic Consuli Joanni Andreæ Liebenbergero , eque militari ordine Guidoni Comiti Stharenbergio , tunc temporis Capitaneo , alijsq; præsentibus, est author exemplo suo , ut ostium effringeretur vi ; quod & mox ita factum , viam patefecit, quā asportata ocyus a quā præsentissimo conflagrationis periculo domus erepta est , proq; miraculo ea res habebatur ; quando ex adversa parte Principis Awerspergij , Comitumq; Traunij & Palfij ædes sumptuosæ atq; magnificæ cum pretiosis aulais & suppellectile abirent in cineres. Adolescens pro incendiario habitus, confessim à furiosa plebe per tumultum in frusta disiectus , occasionem adēmit sciendi , num verè is incendiij author mentito sexu , & quidem ex suggestu hostis fuerit ; de quo dubitabant quamplurimi , credentes magis , ignem aliundè & casu per stabularios ipsos accensum esse ; cui extinguendo cum accurseret tumultuaria hominum multitudo , factum esse , ut in hunc juvenem , qui jam inter primos accurrerat , quemque ē fece nemo novarat , offendentes , hunc pro incendiario haberent , & ceu tales inconditè vociferantes cæderent , ac frustrà reclamantē dilaniarent : undè jam super rei veritate nihil certi possis statuere , quæ alias in lucem venisset , si spatium furibundi sumplissent , quo ad Superiores adolescens deductus , veritatem in examine detegere fuisset coactus : Laus autem & benedictio DEO Uni & Trino , cuius misericordiâ factum est , ut terrible illud incendium luctuoso hoc rerum

rerum in Urbe statu tertiam dénum die desævierit, nec omnes aquam
indefinenter affundentium curas eluserit; facile alias futurum, ut
Arsenale vicinum, quod diximus, unà cum annonaria & pulveneraria
re integræ istic Cœtitati adferret excidium, apertâ fortassis viâ,
quâ Turcæ eâ in Regione extra Urbem curantes uti olim Anno
M. D. XXIX. factum est, penetrare potuissent in Urbem.

Namq; est animadversum, quod hostis continuo tormenta, igni-
vomaq; mortaria in hancce inflammatam Urbis plagam disploserit,
fossoribus indefessè ob sidionales vias istuc versùs promoventibus
contra Aulæ (7.) & Löbelianum (8.) propugnacula, atque his inter-
jacens aliquid minus, quod vulgo Revelinum (9.) dicunt, eoq; à nobis
nomine persæpè repetendum. Et jam suspicio erat, nec vana, ne sub-
terraneis meatibus cuniculos agere contra hæc loca hostis inciperet,
ideoq; de machinatoribus illis, quos Contracuniculatores appellant,
sermo institui cœptus, sed (quod ob stupeas) talis nemo ullus in tan-
to hominum militarium numero est inventus, qui hujus operis gna-
rus Cæsarea mereret stipendia: non quod in servitio Cæsaris haud
essent viri ejusmodi, sed quod alibi essent, quæm ubi vel maximè tunc
erant necessarij; quorum autem hoc culpâ acciderit, nescio.

Duo viri, Belga alter, & alter è Lotharingia oriundus, sui juris
ambo, semet detegunt, quod operum essent periti, si suâ placeat
operâ uti, paratos se qui locent; admittunt, probantur, & adver-
titur, aut pauca illos didicisse, aut multa oblitos: sed quia inter cæ-
cos quisque luscus Rex est, in ea istiusmodi virorum carentia, cu-
niculis ducendis hi sunt constanter adhibiti; Sicut & Bartholomæus
quidam Camuccius, Venetus natione, qui pluribus annis Comitis
à Wimes, machinatori quondam hic Viennæ bellico Generali, con-
vivens, multa abs eo & cognoverat, & didicerat, quæ nunc utiliter
exercuit; Hisce connumerandus est Capitaneus præsidij Urbici
Joannes Jacobus Hafnerus, ad hunc honoratum militiæ gradum
è gregario eluctatus, vir provectæ jam atatis; at vegetus & ro-
bustus, qui militaribus rebus à puerò innutritus, cum magnam ea-
rum peritiam usu comparasset, nec exerceceret, & fortè opus quod-
piam cunicularium ab alijs cœptum, ceu haud secundùm artem fa-
ctum, reprobareret; per hoc semet prodidit, quod artem calleret:
adhibitus ergo & ipse deinceps dirigendis cæteris, multa verè in hoc
genere præstitit, quæ Superioribus sunt constanter laudata.

Dumq;

Dumq; hæc ita disponuntur in Urbe, Generalis Sthärenbergius solerter curat in mœnibus & fossis ea, quæ hostem quam diutissimè possint arcere. Nam & in extimis fossarum spondis (2.) & per fossarum Civitatis ima (13.) infixis palis & sudibus, egestaq; humo nova parari fecit receptacula, post quæ se nostri recipient casu, quo Turcæ vi istac penetrare contendenter, ita quidem, ut superatâ unâ vel spondæ, vel fossæ particulâ, in objectos illico novos hos obices impingentes cogerentur subsistere : quod sæpe deinceps cum magnâ Turcarum jactura contigisse plaudentes conspeximus. Diligentem hoc in labore periculis pleno navavit operam Capitaneus Elias Kuhn, Silesita, qui conductus privato cuiuspiam ære ante obsidionem, ut Sonnaviam arcem, haud procul Neostadio sitam, ab incursu Tartarorum defenderer ; cum istuc, uxore, & quatuor filijs & aliqua militum conductorum manu comitatus properaret, in viâ à Tartaroru[m] multitudine obrutus, ipse quidem excussis ex equo duobus salvus cum equo Vieñam reversus est, ignorans quid de uxore & liberis factum sit.

Hodie autem adhuc hostis esse totus in eo est visus, ut obsidionales suas ad Urbem vias, propugnaculum Aulæ & Löbelianum versus, idque, quod intermedium illis est Revelinum, promoveat, quibus jam vix amplius 30. passus abest à sponda, non attenta assiduâ tormentorum nostrorum ignivomorumq; pyrobulorum è mortarijs displosione : nam his paria rependit hostis, tormentis atq; mortarijs æquè ignem evomens in Urbem & valla, quo foedum dilacerata sunt palatia Cæsaris (10.) innitentia vallis perterebratis templis, turribus & ædificijs Magnatum circumvicinis.

At, quod omnium ægerrimè videmus, est quòd Generalis noster inter densissimos tormentorum æquè ac sclopotorum globos periculissima quæq; loca oberrat ipse, præsentissimo semper expotitus casui, prout quintâ & decimâ Julij jam tum sumus experti. Nam cùm eâ die diligenter pro more curaret in locis impugnationi ab hostibus maximè destinatis, & propugnaculum Aulæ (7.) inviseret, Turcæ tormenta illac exonerantes, in loricæ verticem merâ & solidâ petrâ factum impingunt ; undè dissilientia sparsim fragmenta Generalem ipsum secundum caput adeo sauciarunt, ut domum inde a sportatus necessè habuerit aliquot dies curationi Medicorum & Chyrurgorum, quamvis non sine stomacho, dare ; horum autem diligentî curâ eosq; mox restitutus est, ut tertiâ à vulneribus acceptis die,

die, moræ omnis impatiens, cum vecturæ jactationem adhuc suffere non posset, portatili sede se efferri mandaret, ne ob sui non præsentiam aliquod Respublica detrimentum pateretur. accedebat, quod eodem tempore Comes à Daun, qui à Stharenbergio alter erat, ardentि febre correptus adhuc hæreret lectulo, unde non sine ingenti vitæ periculo quarto decimo demùm die vix est eluctatus. Sed tamen sustinuit hujus vices Generalis Vigiliarum Magister Comes Sereni, & Brigadieri Comites de Souches, & Scherfenbergius, cum cæteris Colonellis & Vice-Colonellis, qui tantâ solertiâ ipsimet ubiq; curabant, etiam non jussi, ut ingenti inde voluptate repleretur animus Generalis: nec ullus est in omni propugnatorum numero Tribunus, Subtribunus, Instructor, Capitaneus, Officialis, Imo gregarius, qui partes sibi concreditas generosè semper & exactè, spredo omni mortis periculo, impleverit, immortale sibi gloriæ decus & immarcescibilem nominis famam comparantes.

Lector: dum hæc nonnihil laxius scribo, video trium simul dierum gesta uno me compendio esse complexum, hinc stylum nunc diei nonæ & decimæ Julij mensis admovebo, ubi paucula prius hic adje-ro, quæ intermedijs adhuc id est, 17. & 18. diebus intercessere.

Nempè die 17. mensis Julij vifus est hostis suggestus suos, quorum ternos à Kalschmidiano (11.) ad hortum usque Reichewizianum (12.) contra Palatinum & Löbelianum propugnacula longo sanè tractu, sed medijs semper intervallis exstruxerat, continuatis nunc fissionibus in unam lineam contraxisse, ita ut qui heri adhuc videbantur esse plures, nunc planè appareat esse unicus longo labore cohærens suggestus, è quo tormenta plus minus triginta horrendum detonant in ea, quæ diximus, propugnacula, constatque jām palam, quamvis propugnaculorum Urbis universim sint numero undecim & duodecimum minus; ut puta Palatinum sub num. 7. Löbelianum sub num. 8. Propugnaculum quòd vulgo die Elend Pastey dicitur, post Patres Scotenses situm. Sub. num. 3. Propugnaculum Aquaticum sub num. 15. hydragogicum, vulgò auff der Wässerkunst. Sub num. 18. Novæ portæ sub num. 33. Carynthiacum sub num. 25. Biberianum sub num. 34. Hollerstauden sub num. 35. Braunianum sub num. 36. Melicense sub num. 32. & Hispanicum minus sub num 30; hæc tria tamen (7. 8. & 9.) fore lapides offensionis, in quibus dejiciendis & evertendis tota sit imposterum desudatura Turcarum industria.

dustria... Unde Generalis Comes à Stharenberg etiam hisce binis propugnaculis, & ei quod utriusque intermedium est, Revelino tueris, omnes ingenij sui vires & artes applicuit, ut suis semper locis narrabimus.

Nunc id videamus, quandoquidem hæc tria, uti jam constat, aggressionis loca sunt, quæ subvertere præcipue hostis intendit, per eorum ruinas aliquando eluctaturus in Urbem, quinam Turcarum curaverint in singulis?

Et in media quidem, quæ Revelinum spectat, curavit ipse Primus Vezirius Mustapha Bassa, id est, Supremus Consiliarius Status: nam quotquot præter militare munus, Consiliarij etiam Status sunt, vocantur Vezirij: ipse autem primus Consiliariorum Status, vocatur primus Vezirius, ac si dicas: primus Minister; cum Janitserorum Aga, id est, Generali etiam Kara Mustapha Bassa dicto, & Vezirio: & ejus locumtenente, quem suâ lingua Kihai Begum vocant: & Hassan Bassa Rumelia sive Sophiae, qui tormenti globo trajectus interiit.

Aggressioni dexteræ versùs palatinum propugnaculum præfuit Huisseyn, Bassa Damasci: hic ille ipse est, quem Ragozzius olim in Transilvania, Souchius ad Lævam (Leventz) Modernus Poloniæ Rex in Gosschin profligarunt, & Sagarzi Bassi, qui est primus Janitserorum Colonellus post Vice eorum Generalem Kihai Begum.. Idem quod apud nos, Generalis Vigiliarum Praefectus.

Sinistram aggressionem Löbelianum versùs promovit Achmet Bassa Temiswariensis, qui olim & Tefter Dar, id est: Præses Cameræ fuerat. Hic pauculis ante salvationem nostram diebus, id est, tercia die Septembris, dissenteriā interiit, eiique postliminio surrogatus fuit Hassan Bassa, qui idem etiam ante fuerat Tefter Dar.

Sed redeamus ad Diarij orbitam: decimâ octavâ die Julij Mensis, Turcis in Insulâ Leopoldopolitana (B.) ad ripam Danubij, contra Urbem obsecram ab horto Comitis à Berka (L.) usque ad disiectum pontem (85.) indeq; viâ Regiâ & rectâ per suburbium istuc longos, & profundos aggeres egesserunt, palisq; & sudibus firmatos insederunt, ubi dein suggestus attollere, & tormenta cum mortarijs plantare sunt visi, quibus horrendum ista Urbis plaga dein, uti suis locis dicetur, est deturpata...

Die decima & nonâ Julij continuantur opera & displosiones utrimque, terebraturq; hostilibus tormentis palatum Imperatoris.

Sub

Sub Vesperam ejectus è mortario major pyrobolus, decidensq; juxta Löbelianum propugnaculum intus in habitationem ordinariam Regis Hispaniae Oratoris, omnia istic mœnibus substructa Magnatum aliquorum Stabula æquavit solo. Lucretius sanè periculofumq; erat spectaculum, quòd ad valli radicem in oculis hostium istac horrendè displodentium flamma sœviret: adeò tamen circumspetè providebat Generalis de omnibus, ut semper starent per vicos urbis parati viri 250, quorum Capitaneus erat Henricus Wolfgangus Venediger, Locumtenens Antonius Harer, & Signifer Joaës Casparus Schenckler, qui incendia, quæcunq; suscitarentur, suffocarent, perq; hos hæc flamma quoq; feliciter est sopita. Cæterū globi in summa temporum domuumq; tecta transversim per Urbem, studio an casu impingentes rara hominibus damna dederunt: cui plurimum servijt, quòd primā statim obsidionis die jussit edicto Generalis omnia tecta, quæ lignea forent, per Urbem deferri, suo ipse exemplo prædux.

Quòd autem interdiu animadversus esset hostis lineam communicationis duplē machinari, quâ vias suas obsidionales (20.) invicem illigatas conjungeret, ei ultra impediendo eā nocte à Generali Stharenbergio est decreta eruptio: hanc masculè adornarunt hinc Christophorus Samson Steinbachius Mansfeldianæ, illinc Guido Comes à Stharenberg, legionis cognominis Capitanei: egeruntq; tam prudenter & strenuè, ut plures e laboratoribus hostium cautâ celeritate usi obruerent, sternenterentque: unum autem e multis captivum abducerent, à quo de Statu Castrorum multa edocitus est Generalis; quæ, quia fidei planè sunt ancipitis, hinc eorum recensione hic supercedemus.

Vigesimā Julij promissi sunt edicto centum aurei viro, qui auderet tentare viam aut vadum, quo literas perferret ad Ducem, receperthus à Duce prœmium, tametsi responsum abs eo ad nos non reportaret, modò constiterit aliquo signo (puta facis cujuspam succensione in editiore trans Danubium loco) penetrâsse ad Ducem: nemo tamen hactenus, quod sciam inventus est.

Interea haud feriatur hostis, sed tormentis mortarijsq; acriter infestat aggressionibus destinata propugnacula Löbelianum imprimis, quod id novo suggestui, quem pridie exstruxerat hostis, esset vicinus, nec ejus spatij, ut contra eum suggestum plura & majora desuper possent tormenta plantari: unde majora istic, quæ in palatino, damsna patravit.

Vigesimâ primâ Julij nuncius, à Duce in Urbem transmissus, penetravit ad nos natando per quatuor Danubij ramos: Turcis, qui in ripis excubabant, nequidquam advertentibus, literis illigatis vesicæ, & è collo suspensis: queis bono nos animo esse Dux jubet, fore enim brevi, ut plenâ acie hostis profligetur Viennâ. Ex Imperio quippe cæterisq; hæreditarijs Cæsaris Provincijs convenire militem amplum, cui junctus mox Rex Poloniæ cum suis, qui jam tum Olomucium advenierint, tam numerosum sit redditurus suppetiarum exercitum, ut, DEO juvante, certa sit futura Viennensium eliberatio: agerent masculè, certi abs Imperatore & Imperio, Vienneses haud iri desertum. Interea intelligebatur partim à trans fugis, partim videbatur oculis è Sancti Stephani turre, pontes binos ab hoste sterni, queis ramus Danubij; qui Viennam alluit, medio supra (H.) & medio infra Urbem milliari cum continente commissus (I.) est, commeantibus desuper liberrimè Turcis ex castris in Insulam, indeq; in castra: horum pontium curam gesserunt Vallachia & Moldavia Principes cum suorum plus minus sex millibus: quibus quod non sat fiderent Turcæ (inviti namq; venerant Christiani) præfecerunt Achmet Bassam Magnesiensem (Manissam Turcæ appellant, quæ civitas est Natoliae) Insulam autem tuebatur Chydir Bassa Bosnensis, qui olim fuerat Sultanæ regnantis Aulæ Præfectus, cum Ægyptijs copijs, sex mille viris.

Ex hac Insula è tormentis ad ripam alvei contra Urbem locatis horrendum Turcæ vigesimâ secundâ Julij detonant quatiuntq; propugnaculum, quod vocant aquaticum (15.) (ubi Joannes Corneo bellicus Machinator insignis curabat) ideo, quod aquam inter & portam Urbis rubram meris superstructum Cratibus antiqua Urbis mœnia tueatur & tegat: nec parcitum est domibus & templis, quæ in colle istic ædificata, altiora mœnibus prostant. Monialium parthenonibus maximè incubuit hæc pestis, Sanctorum Josephi & Laurentij, totiq; isti districtui, qui à vico pontis alti ad usq; Sanctæ Barbaræ vergit, ubi tecta & muri globis continuis, excussisq; è mortarijs sèpè pyrobolis fœdùm sunt lacerati, inhabitatoribus nullibi, nisi forte sub densis fornicibus salvis, orationi tamen & precibus constanter incumbentibus, ut cœleste Numen sibi & nobis propitiarent: quo in genere mirus quoq; fuit Civium fervor & ardor, horis per Concionatores è suggestu dictatis (nam ex interdicto Generalis non pulsabantur campanæ) ad Ecclesias confluentium, ibique eoram Christo

Salva-

Salvatore DEO & homine, sub consecrato per os Sacerdotis Cereris
Orbe palam omnibus exposito se prosternentium, & misericordiam
implorantium, quâ flagellum hoc nobis ob peccata nostra justè im-
missum à contritis jam de sceleribus & toto corde prostratis clemen-
ter avertat.

Hodie iterum Studiosi erumpentes numerum aliquem bubalo-
rum intacti abigunt hosti, qui in Urbem intromissi per fossas, adque
Generalis Stharenbergij ædes deducti, pars ægro militi cessere, pars
Studioſis relicti.

Sed & literas hodie scripsit è castris hostilibus, in quibus degit,
Residens noster ad Ottomannicam Portam Georgius Christophorus
Kunitzius, quas asportandas in Urbem de nocte commisit familia-
rium suorum uni; quod ideo fuit minus arduum, quia Residentes
noſtri omnesq; ipsorum Officiales & famuli, Turcarum habitu ince-
dunt, & linguam plerumq; callent. His literis quid edoctus sit Gene-
ralis, nobis haud constat. Id scimus, quod hæc literarum transmissio
mox fuerit in Urbe per compita & vicos adeò decantata vulgoq; no-
ta, ut non immerito prudens quisq; timuerit, ne Turcis aliquando per
transfugas aut captivos aperiretur, & in futurum cessaret, ut factum
est: Nam vix tertia vice ad Urbem remissus eques cum literis est,
quando minus cautè ex equo descendens, ut nescio quid in horto ob-
vio carperet, à Chiaſio de Fanina Caplan Alai Beg dicto agnitus, &
interceptus, ductusq; recta ad Vezirium est. Quod autem dum du-
ceretur, præcautione usus, literas quas globo ex cera densato inclu-
serat, clam à se abjecisset, indeq; convinci coram Vezirio haud posset,
vitam quidem servavit hactenus, incarcерatus tamen ad herum su-
um rediit nunquam.

Vigesimā tertia Julij domatim indictum est omnibus, propriam
in Urbe domum habentibus, ut de homine sibi provideant singuli,
qui in cellis vinarijs excubans diligenter attendat, sicubi laborato-
res sub terra advertat, & indicet: rumor enim increbrescebat dicen-
tium, esse nebulones in Urbe, qui clandestinis ejusmodi & subterra-
neis fissionibus studeant aperire Barbaris viam in Urbem.

Vidimus hodie, dum Turcae tormentum unum atque morta-
rium breviori viâ usuri non per pontem remotiorem, sed in conspe-
ctu civium haud procul in Revelino istic Judaico, quod vocant, ex-
cubantium, cymbâ vellent trahicere, ut tanto citius usui contra nos
essent,

essent , nostros in cymbam tormenta displodere , quorum ictu perforata navis unà cum hominibus , & armis est mersa Danubio.

Cæterum hostis hodie , postquam bene mane suo more nos à tormentis & mortarijs ferociter salutasset , quievit deinde eâ die præter morem , nobis à causa suspensis ; donec sub horam sextam vespertinam duos simul cuniculos , quos sub terra infra juncturam extimæ spondæ (2.) quâ fudes & pali ad apicem committuntur (Machinatores bellici , les Angles Saliants appellant) effoderat , supposito igne succenderet , non respondente , quem quidem nos timebamus , evenitu : nam in altero , ignis relecto ad pessulum non satis obstructum fomite , evaporavit irritò ; alter scissam excutiens terræ molem in sponda , cui erat suppositus , decem duntaxat viros excussum in aëra , recidentesq; sepelijt : assaltum tamen , & hunc quidem tertium in eodem hoc loco tentavit , sed & tertia hac vice generosâ nostrorum propulsatione cum multa suorum cæde rejectus est .

Vigesimâ quartâ Julij continuati labores utrimque & tormentorum mortariorumque tonitrua : sub meridiem accurrit ad Generalem (anhelum spiritum trahens) Laurentius Nitsky , civicæ Urbis militiae hoc obsidionis tempore adlectus Instructor (quem belli Præses Hermannus Marchio Badensis aliquot septimanis ante , ob mixta cum Teckelij Secretario , haud decentia reverentiam , de Augusta Domo colloquia , arresto dicaverat) hic refert , animadverti hominis aliquid inesse cloacinae Urbis , quâ sordium inde colluvies per cameratum sub terra fornicem extra muros in Danubium egeritur ; metum esse passim , qui cives consternet , ut nè sint Turcæ , qui cuniculos istic agendo viam sibi parent potiundæ Urbis . Generalis , cùm nondum sat virium recuperasset à morbo , generum suum Baronem à Wels , & Tribunum à Rümlingen , qui forte cum ipso erant prandentes , mittit cum Nitskio , ut rem explorent ; Illi ocyus abeuentes cùm lentiùs redirent ; Generalis ipse moræ omnis impatiens semiprancus & æger , in equum se conjiciens , cum ad locum advolat , ipseq; se in impurissimum meatum insinuat , advertit carnificis Viennensis asseclas esse , qui cadavera excoriarent : unde stolidæ viri militaris temeritati succensus , bene meritis eum convicijs multans domum repetit , & decantatum per vicos periculum cachinnis exhibitat .

Cæterum hodie in ipsam S. Stephni Baslicam , sub concione , homi-

hominibus refertissimam, per fenestram illapsus globus, atque in columnam impingens, cui suggestus adstructus est, subsidit innoxius.

Vigesimā quintā Julij die sub horam quintam pomeridianam Turcæ in obsidionalibus vijs suis, tintinnabulis (musica sunt ipsorum instrumenta) clangere, inflare fistulas, & miscere barbaro more horrificos halalatus incipiunt (mirè suavi, ut illi credunt, concentu) ut festum celebrare diem agnosceres: quod inaudientes nostri in fossæ sponda proximè excubantes (nam vix decem pedibus distabant ab invicem) sarcasticè eos ad choreas, & saltum invitant post cantum. Et certè secutus est saltus: nam postliminio novum succendent paratum sub sudibus & palis cuniculum; quo cum eversa humo pali aliquot, & cum palis, nostrorum, qui istic curabant, decem ferè viri in aëra excusssi vivere desierunt: Turcæ autem cum per eum vi ignis apertum hiatum impetu factò penetrare glomeratim niterentur in spondam; gravis enim verò velitatio orta est, quæ integrâ horâ dimicantes distinuit, pluresque hinc illinc prostravit.

Nec aberat procul à confusione noster tunc rei Status, quando Generalis Vigiliarum Magister Comes Sereni unà cùm Sant Croyo, Subtribuno Dupegnianæ legionis equestris, accurrens, centum viros recentes submisit, qui manuales mox pyrobolos igne missili faratos (a) in hostem excutiunt; quo forti & laudabili factò è vestigio priores sublevati plura demetunt Turcarum capita, quæ sudibus deinde palisque per extimas fossæ spondas in hostis conspectu infixa, docent continuò barbaros, non fistulis tinnulisque ludendo, non ululando corruere Christicolarum mœnia, uti olim in Jericho; sed fortitudine ad hoc opus esse majori, qualem gentes paganorum in suâ feritate confisæ non conferent, dexteræ Christi potentia conterenda.

Comes Guido à Stharenberg cognominis sibi legionis tunc Capitanus, post Instructor & Subtribunus à Generali cognato creatus, istic trajectus, diligenti Medicorum curâ vitam (ultra deinceps promovendus) retinuit. Idem Comiti Souchio, sed paulò initius obtigit: nam ictus vulnere haud gravi in brachio, cum id obligaturus paululum secessisset, ocyus eo facto redivit: aliter accedit Supremo Machinatori Bellico (b) Georgio Rumpler Misniensi, qui quidem

(a) Hand-Granaten. (b) Ingegnieur.

quidem & ipse in brachio sinistro confractis sclopeti i^ctū juncturæ of-
fib⁹ saucius, cum domum ductus Medicorum manus & medelam ad-
hiberet, superante tamen eorum artem malo octavā post die extin-
ctus est : Vir artis suæ atque scientiæ apprimè gnarus, cuius olim
specimina dederat Hermanno Marchioni Badensi Philippopolim ad
Rhenum pro Cæsare expugnanti ; à quo Belli Præside deinde facto,
& nunc hic evocatus, Cæsari hyeme priori stipendia merere occe-
perat. Cecidit quoque hac hujus diei tempestate Baro Waltheri
Tribuni olim equestris hujus nominis filius, Subtribunus Principis
Würtenbergensis : Capitanus item Wilhelmus à Schemnitz
legionis Stharenbergicæ : Locumtenens autem Dubsky Baro, per clu-
nes traje^ctus, est curatus. Ipse Generalis iterum hodie lapidis i^ctū in
manu est sauciatus.

Vigesimā sextā Julij cuniculus noster in obsidentes actus frago-
re tormentorum concussus dissiliit, quo tres viri laboratores op-
pressi sunt. Sed & homo ille, quem Dux recenter, ut supra anno-
tavi, ad nos cum literis miserat, eadem viā cum literis zyphrā ex-
ratis remissus, in manus Turcarum exploratus devēnit. Signum rei
evidens est, quod hodie Turcæ literas ipsi ad Ducem concrēditas
fagittis alligatas in fossam Urbis sint ejaculati, adnexis aliquot li-
neis, quæ latino erant idiomate scriptæ, significantes, remitti no-
stras nobis literas, frustra ad Ducem mittendas, cum palam sit mun-
do miser Urbis Viennensis status, qui justa sit ultio DEI punientis
Christianos, quòd pactis promissis haud steterint, proindeque Tur-
carum Imperatorem ad hanc expeditionem irritarint.

Vigesimā septimā Julij editum vulgatur, quo jubentur cæteri
Urbis incolæ cujuscunque conditionis aut status, armis apti, qui nec
militiæ, nec Universitati, nec Urbis Magistratui hactenus sua nomina
dederint, modò se sistere, ut quartam armatorum in Urbe classem
constituant, armis ex civitatensi armamentario instruendi ; conflu-
xuri autem in foro novo, mox ut hostilis assaltū signum pulsandis
per universam civitatem campanis sint audituri. Horā tertiā pome-
ridianā Turcarum manipulus, è vijs in obfessos sinuosè ductis, fero-
citer profiliens impetum facit in pedites nostros, qui juxta palos cu-
rabant : hi autem indefinenter ad propulsandum prompti, Turca-
rum novem, sudes prætersilire cum frameis ausos, è vertice spondæ
in

in ima fossæ præcipites agunt, & manibus istic curantium induunt, à quibus è vestigio sunt in frusta dissecti.

Enituit hic singularis legionis Mansfeldianæ Instructoris Caroli Burchardi Gallenfelsij Carynthiaci Nobilis viri virtus, deplorandi propterea, quòd rem fortiter agens in flore ætatis suæ sagittâ venenata fossus occubuerit: cæteris tantâ contentione dimicantibus, ut Generalis Vigiliarum Magister Comes Sereni istic officij sui partes cum Scherstenbergio Comite Brigandiero alijsque viriliter implens, cum & ipse sagittâ secundum scapulas in dexteri humeri vertice transfigeretur, nec ictum adverterit, nec sagittam, donec à tenente legionis Souchianæ (cujus ceu Adjutantis opera Souchius Comes tunc quoque præsens utebatur) Antonio Adalberto de la Gatte dicto, læsonis admonitus, sagittam abs hoc sibi extrahi patetetur, postquam ipse Comes paulo ante Gallenfelsio adhuc vivo spiculum fatale jussisset extrahi. Sed & supremus Souchianæ legionis Instructor Franciscus Christophorus Montenelli hac tempestate est læsus, quem tamen à vulnere dein restitutum suæ legionis Subtribunum creavit Princeps Würtenbergius. Multi è nostris gregarij eâ nocte sunt fulminati; è Turcis quotnam sint læsi aut cæsi, nescimus.

Vigesimâ octavâ die Julij pyrobolos piloclastros (*a*) ex suburbio Leopoldopolitano (*B.*) hostis excusit in Urbem, quorum unus in ædes portæ rubræ vicinas ad aureum lupum dictas decidens tanto fragore strageque detonuit, ut potior amplissimi teæti lateritij pars disjecta, sparsim volitarit per Urbis compita non sine commendantium damno. His quoque diebus plures Christiani, quos captivos Turcæ, Tartarique abduxerant, captatâ occasione ausfugerunt in Urbem, quos omnes capitibus rasis Turcico vestitu amictos fuit videre.

Vigesimâ nonâ die Julij continuati conatus hostium, superare tandem contendentium extimam fossarum spondam, (*b*) qua propugnaculum versus Palatinum illa, Löbelianumque & medium utrisque Revelinum porrigitur; succenduntque in eum finem horâ quintâ pomeridianâ cuniculum, quem istic paraverant; sed quòd hic cuniculus ultra fossus esset, quam ubi pali & fudes stabant, factum est, ut his immotis, cuniculus in ipsâ spondâ sub receptaculo

F

erum-

(a) Bommen. (b) Contrascarpen.

erumperet , ubi nostri curabant , excussisq; unà cum terrâ palis plus minus quindecim , viginti circiter nostrorum ruinæ involueret , lœsis pluribus . Assaltum tamen ultra non tentarunt Turcæ , quòd exterior palorum linea , quam evertere è cuniculi succensione intenderant , stetisset illæsa : undè tantò facilius nostri lacunam succensione cuniculi factam postliminio resarcierunt.

Trigesimâ Julij die cuniculum nostri in Turcas ductum succederunt , dirigente hunc actum ipso Generali Stharenbergio , qui præsens in apice propugnaculi palatini , dato nostris signo receptus è stationibus tantisper suis , queis in extimis spondis curabant , cuniculum jubet accendi , qui sub octavam vespertinam extra Urbem sub vijs obsidionalibus (6.) erumpens ; quæ damna dederit hosti , non satis liquet , dedisse autem constat ex eo , quòd reparare istic diruta Turcæ vissi sunt die sequente , qui fuit

Trigesimus primus Julij , & simul promovere cuniculos suos usque ad ipsam spondam , (2.) adeò vicini jam nostris , ut non loqui modò & nugas divendere invicem , sed & cominus manus conserre fustibus sudibusq; possent : sed cum fustum loco nostri harpagones in manus prehenderent , ijs in capita Turcarum impactis intra palos hos attrahebant , aut adaptatas longioribus perticarum manubrijs falces (novâ , uti fama fert , Comitis Daunij adventione) extra palos spondæ exerebant , certam necem his , ad quos pertingere poterant , inferentes : nec erat injucundum videre subinde duos & plures ex perticis pendulos hinc falce , inde percussâ prædâ potiri contendentes , fortiori deniq; pugnam dirimente .

Sed nec hoc prætermittendum silentio , quod notatu nos dignum judicamus . Accidit duobus his diebus continua , ut è mortario ignitos hostis pyrobolos evibraret : horum utroq; die unus in propugnaculum palatinum (7.) juxta nostra mortaria (16.) istic plantata , penes quæ stabat tormentariæ rei Subtribunus Geschwindius , rem istic curans , dilapsus , cum dissiliret , casu succendens unum è nostris mortarijs , pyrobolum , quo fartum erat , rectâ in hostem excussum haud absq; ejus damno ; sed periculo Subtribuni præsentissimo : nisi is pronus terræ allisus fragmenta dissilientis pyroboli circumstrepentia elusisset , cum applausu Generalis , paulò remotiore loco præsentis , qui mox interrogatum mittens , qui valeret , cum intelligeret , benè , gavisus est .

Neque

Neque hoc silendum, quod hac nocte, quæ primam Augusti diem præcedit, idem hic Subtribunus, sex tormenta supra Cabalrium Löbeliani propugnaculi (NB. Lector, hoc ipso nomine vocat Paulus Jovius in Historiâ suâ propugnaculi supremum verticem, prout appellatur passim) ante plantata inde deducit, reponitque eorum tria subtus in cortina ad lœvam, ubi jam ante tria erant planta-
ta, tria autem cætera in inferiorem propugnaculi contignationem recondit, quæ laxior erat: idque ideo, quod in supremo Cabale-
rio non tantum plus æquo starent exposita iætibus tormentorum hostilium, sed & altiori loco displosa haud raderent Turcarum sug-
gestus.

Hisce diebus Generalis Vigiliarum Magister Comes à Daun,
quamvis adhuc languens à febri, curas tamen militares repetijt.

Contra Turcæ præventuri ejuscmodi deinceps damnis subter-
raneos meatus magis urgent promoventque quotidie, frustra no-
stris manualium pyrobolorum indefesso jaætu improbos eorum la-
bores impugnantibus; quod ipsi foyeas suas obsidionales mox ut
egesserant, continuò trabibus supernè tegerent, trabesque asseri-
bus & fartis arenâ saccis operirent, non manualibus tantum pyro-
bolis, sed & piloclastris ipsis, impervijs: unde & factum, ut Bassæ
insignes, imò ipse supremus Vezirius loca mansionis suæ haberent
in vijs obsidionalibus tutæ (21.) quantumvis amplè & spatiösè stru-
cta, atq; in conclavia plura distinctæ, aulæis ornata & pavimento la-
teritio strata, quibus nihil deerat, quod humanæ vitæ commodo pos-
sit servire; ne recessus quidem.

Cæterùm Machinatoris Bellici insignis, Subtribuni Hoënij, na-
tione Saxonis, equus mille florenis æstimatus, quem post ipsum fa-
mulus ejus ducebat ad manum, quando herus pedes machinantium
stationes visitatum ibat, super ponte, quo canalis (22.) è Danubio
ad Arsenale vergens insternitur, sclopeti ex Insulâ Leopoldopolis-
tanâ displosi iætu trajectus crepuit, quod summè dolebat Hoënius,
cujus ceu ingeniosi & strenui viri adinventiones & praxes non semel
à Generalibus laudari præsentes audivimus. Nec prætereundus
hîc est Reinerus Machinator Urbicus ordinarius, cuius opera præ-
sentior sæpè præstantiorque fuisset; nisi pertinaci quopiam tussis a-
ridæ morbo laborans, subindè rarior esset in opere visus, ac cuperet
Generalis.

Augusti Mensis.

Dies prima terruit populum, octavam inter & nonam matutinam in Sancti Stephani sub concione præsentem, quandò iteratò hostilis tormenti globus per Basilicæ fenestras in navis columnam impingens facto impetu subsidens, tamen adhuc è millenis unam civem incisis tibijs fœdùm prostravit: nocte verò, quando jam Turcæ fossionibus suis adeò egefferant humum in altum, ut tribus minimum ulnis stationarijs nostris eminerent, palis declives ex alto facti, hos igne comburere occipiunt: nostri, qui post palos curabant, viros se præbentes, masculè hostem propulsant, alijs fontanam in pileis suis ex imo fossæ asportantibus, quâ flamas extinguerent; fuit hæc dimicatio utrimq; haud sine cæde multorum.

Vix autem illuxerat dies Augusti altera Festo, quod vocant Portiunculæ sacra, cum summo mane Turcæ Patrum Capuccinorum Ecclesiam pernultis explosionibus infestantes devotionem populi, DEO se per sacram Exomologesin reconciliantis, haud modice turbant: casu, an malevolorum in castris Christianorum suggestio ne? incertum. Excussus quippè è mortario pyrobolus teclum templi cum ingenti fragore transverberat, sistensque in fornice cum anxious teneret eos, qui subtus in templo erant orantes, quorsum ultra globus esset erupturus, timore replevit adeò, ut inde se quâ datâ portâ quivis reciperet, reversus tamen postliminio ad devotionem, cum innoxium esse casum videret.

Hac eadem secundâ Augusti die vesperi post octavam ductus à Löbeliano propugnaculo (8.) in hostem cuniculus est succensus eo successu, ut excussâ in altum inter obsidionales Turcarum meatus tertâ plures Turcas unâ in aërem excusso, sectosq; membris relapsos se peliret: videbamus enim è mœnibus hic brachia, istic tibias aliasvè corporis humani partes fumeam inter excussæ terræ caliginem per aërem agitari dispersas: præstante hac in re egregiam operam suam Joanne Jacobo Hafnero Capitaneo (cujus supra non semel cum laude meminimus) quem idcirco amplexu dignatus cum expresso gratæ benevolentia signo est Stharemburgius Comes, in propugnaculi vertice cum cæteris istic curantibus Officialibus præsens, præstolans eventum, qui fuit optatus. Nocte hac exeuntem è nostris peditum manum, mixtam equitibus paucis, vidimus oculis nostris alterâ, id est,

Ter-

Tertiâ Augusti die in Urbem redire cum bobus plus minus quinquaginta , quos hosti abactos illæsi adducebant , qui deinceps per subterraneas cæcasque cryptas (a) in Urbem acti , pars egenis & ægris celsere militibus , pars autem his , qui aleam tentaverant , sunt relicti in prœmium . Et mirare Lector , in tantâ hominum obfessorum multitudine , sexusque & Status varietate bubulam semper fuisse in promptu , quamvis haud eodem semper pretio venditam : namquæ initio , cum extra Urbem nostri , qui ex Hungariâ redibant , integrorum pecorum comedibilium greges ante se agerent , spatiolumque bovem lanionibus quæstui intentis & civibus , ducato , quem vocamus , divenderent ; vñijt libra vix solido , emebasque triginta tria , quatuor aut quinque pondo Imperiali dalero : hoc pretium deinceps auctum tamdiu crevit , quamdiu crevit dierum numerus , queis duravit obſidio ; adeo ut novem denique solidis vñiret unica carnis libra : ut jam mirum non sit , si intelligas lamenta eorum , qui queruntur , quod ne micam quidem habere potuerint : penuria enim hæc non defectu carnis exorta est , sed defectu pecunie , quæ plures destituebat ; multi avaritiâ ducti proprium defraudarunt abdominem ; donec eâ die , quâ salvati sumus , tot boum , bupalorum oviumq; greges , nostrorum à Turcis præda , abacta est , ut non tantum Urbi & Viciniæ nutriendæ in longum tempus parabili pretio à Victore Christianorum exercitu coëmpti sufficient , sed & serviant arandæ quaquaversum iterum terræ equorum defectu , queis barbarorum ferocia patriam universam privaverat .

Hac eadem Augusti die tertia obiit ab accepto nuper in brachio vulnere supremus noster Machinator bellicus , qui & subtribuni nomine vocabatur Georgius Rumpler , de quo supra : ajunt acceleratæ mortis causam ipsummet fuisse , quod vini immodicus esset curationis tempore . Electi sunt etiam hodie ex ijs , qui Arsenali inserviunt , ut adlectis sibi è militiâ urbanâ voluntarijs socijs concubiâ nocte cataphracti trajiciant ad adversam Danubij ripam , (23.) quâ naves adhuc plures Turcæ in Insulâ curantes , longo ordine asservabant , fortè aliquando ponti in nostram perniciem struendo ijs abusuri , ut has aut solutas abducant ad Canalem in Arsenale porrectum (22.) aut terebratas demergant , aut succendant igni ; quod viri hi strenue masculeq; fecerunt non sine prœmio & laude promerita .

Invitari denique cœpti sunt hodie tympanorum pulsū ex omni hominum in Urbe præsentium sorte , qui nulli hactenus ordini essent inscripti , panis tamen penuriā afflīti , ut nomina darent militiæ, mererentq; cum cæteris stipendia ; donec duratura esset obsidio : eā finitā ad sua iterum liberē abituri : quales deindē, quotquot nomina sua dederunt (dederunt autem quām plurimi) tribus imperiis vestigio donati , pane & vino quotidie cum reliquis sunt gavisí. Nam Principis Schwartzbergici de quo supra , Religiosorum Civiumq; liberalitate, nulli, qualicunq; militantium ordini defuit vi- num : ita enim Generalis providerat, concurrente Magistratus ope ac operā , ut centesimam urnam Ecclesiastici , Religiosi , Cives & Incolæ alendo & recreando militi penderent, quod absque ullā reni- tentia promptissimè factum. Nec Ministrorum Cæsaris Magnatum- vè absentium vinarijs cellis hic parcitum est, nec domibus atq; pala- tijs, quin hospitandis Officialibus deservirent.

Hac nocte , quæ quartam Augusti diem præcedit , ferociter acta res est , Turcis decretoriè pro possessione extimæ fossarum mœnibus adversarum spondæ (2.) (a) pugnantibus ; cui egestà per plures dies supra palos humo, altiores eminebant , unde declives facti facile jam in ipsam spondam dilapsi rem cominus gerebant , concurrentes in u- na eademq; statione cum nostris : dimicabantq; sclopis , frameis & spiculis Turcæ. Imbrem dixisses , adeò venenatis barbarorum sagittis perpluebatur hæc statio, hoste novos in horas bellatores sub- mittente, qui fessos levarent : contra Generalis noster Officialibus mixtus rem omnem accuratè , & ex militari disciplina adornabat : evitari tamen haud potuit, quin hostis tandem quartâ post primam aggressionem hebdomade cuniculo sub rostro spondæ succenso, ter- ræ spatiolum inde decerperet , in junctura linearum , queis fudes e- rant commissi (les Angles Salients Galli appellant) unde è vestigio se se recipientes cæteri passibus paucis , pars novo mox ardore ag- geribus hinc & hinc egestis novos terræ palos infigere , eosq; con- gestitiā humo firmare : (b) pars hostem adhuc arcere , ne pedem ul- tra figat in loculo , quo erat potitus. Revelinum istic est medium inter palatinum Löbelianumq; propugnacula : ad hujus latus dex- terum curabat strenuè , uti ubiq; solebat , Georgius Mauritus Kot- linsky

(a) Contrascarpa.

(b) Neue Abschnitt,

linsky Baro de Jeltsch , Silesita , qui istic , dum suos animaret , recens-
tesque viros substitueret fessis ipse Ductor ; globo trajectus occu-
buit magno passim , sed sui maximè Generalis Stharenbergii luctu ,
cujus fuerat Vice-Tribunus & charus : Frater ejus Georgius Adol-
phus , Beckeianæ legionis Capitaneus , ad lævam curans , eodem
fere momento fragmentis pyroboli dissilientis in facie læsus , nasum
scmigmatibus illitum aliquo tempore ceu resectum circumligavit
linteis , nec tamen statione unquam abstinuit , donec plenè deinceps
curatus , jam docet ad majora se aspirare . Nepos utriusq; Joannes
Georgius Baro Kotlinsky , honorarius miles , tertia die post , accep-
to adverso iectu sclopeti vulnere , octavâ post die vivendi & is quo-
què fecit finem : utile profectò stemma , si tribus Christianitatis ser-
vitio immolatis , alij ei terni semper supersint , queis gentis suæ la-
cunas priorum nece inductas postliminio possit restaurare . Et hæc
quidem nocte . Diem sequentem , quæ fuit

Augusti quarta , transegerunt Turcæ egestionibus , reboantibus
hinc & inde tormentis , volitantibusque pyrobolis ; donec sub ho-
ram octavam vespertinam solito more tentarent aleam Turcæ , ut
fossæ , quæ Revelinum à sponda discriminat , fierent propiores : his
iterum dum masculè obsistunt nostri , accidit ; ut è grege unus in
singulare prælium indueretur cum feroci Turcâ , quem multùm lu-
ctatus tandem frameâ nudatum sauciatur , arcteq; stringit ; Turca in-
ter luctandum spiculo è pharetra deprompto , ferit cuspide caput &
frontem Christiani : cui accurrens qui istic curabat Locumtenens
(hujus nomen nos latet) caput barbari amputat , quod mox sudi
impaetum nobis in propugnaculo supra portam Carynthiacam stan-
tibus spectaculo est allatum . Erat hominis robusti non inelegantis
formæ , annorum viginti , & quod inde ad trigesimum tendit . Cæte-
rûm inter dimicandum nostri palos spondæ , queis erant adhuc Tur-
cæ septi , & cuniculos binos à propugnaculo Löbeliano in hostem
ductos unâ & simul succendunt , respondentे effectu . Alterâ die ,
quæ erat

Quinta Augusti , fortiter inter tormentorum explosiones , py-
robolorum manualium evibrationibus sub noctem urgent opus Tur-
cæ , quo denique effectum est , frustra ultra obnitentibus nostris , ut
hostis in extimâ fossæ spondâ humum multâ contentione supra alte-
ram in ea à nostris excitatam opere tumultuario militarem sepem
egestam ,

egestam, in demissiorem à sponda Revelini fossam dejicere, æquaturus spondæ; quā sic complanatā istic viâ, facilior fieret barbaris oppugnaturis assaltus: sed mira fuit in propulsandis, nostrorum alacritas, quām præsens ubique Generalis collaudans, fratres nominabat gregarios, & illucescente die sextâ Augusti lectisternia sibi horâ quartâ matutinâ curabat afferri ad palatiū atrium, in militarem stationem illam, cui excubiæ aliâs, quæ pro Cæsare curant, solent inesse: ut omni casui, quicunque se posset ingerere, magis esset in futurum vicinus.

Sextâ Augusti die visi sunt ex Sancti Stephani turre magno numero nostri stare sub tentorijs ultra Danubium ad ripam amnis contra majorem Insulam, cujus nuper disjecerat Schultzius pontem (G.) ut supra sub 15. Julij descripsimus. Quem pontem (G.) cum Moldavi nunc & Valachi, quibus hæc cura commissa erat, uti supra narrabamus, laborarent reficere, & jam jugo duo essent refecta; Dux contra nitendum ratus Donato Heislero Dimachorum Tribuno, & Ludovico Comiti Archinto, legionis pedestris filij sui Subtribuno, & Petro Ricciardi Croatarum Tribuno in mandatis dat, ut structuram eam porrò impediant. Hi plantatis mox contra barbaros laboratores tormentis dispositisq; sclopetaijs per amnis ripam, hostem à continuandis laboribus per explosiones constanter arcent. Hæ explosiones dum audiuntur in castris, visi mox sunt Turcæ, qui viciniores Insulæ castra metabantur, ut puta, qui ab amnis inferiore ramo usque ad promontorium Sancti Marci tentoria fixerant, omnes in equis esse, passisque vexillis condensari, & contra Insulam tendere, donec à socijs, qui in Insula curabant, equis ultro citroque currentibus rem plenius edocti Bassæ, & primus Vezirius tormenta tormentis contraponere juberet: quod factum, aliquotque diebus continuatum quidem, sed à restaurando ponte interim & postea cessatum est.

Nec silendum nobis est factum heroicum, quod eo tempore ab Heislero & Archinto patratum esse didicimus: Heislerus quippè, & Archinto Comes, ut propiores scirent, quid hostis ultra alveum suâ in statione factitaret, scaphæ se committunt pedites, armati ipsi, alijsque armatis binis stipati, sicque se nautæ pescatori ejusque socio, qui inter alios istic exulabant silentio noctis confidunt, & in adversam continentem, cui hostis dominabatur, trajiciunt. Iстic appulsi nau-

nautam pro custodienda scapha relinquunt ad litus, jussum post abstrusa dumeti se recondere, ne detegatur, donec reduces revehat unde venissent. Ipsi sumpto secum nautæ socio, cum paululùm processissent, Heislerus procumbens humi, silentibus socijs, aures applicat terræ & auscultat: cumq[ue] deprehenderet clamores & murmura barbarorum magno numero contra eam plagam, quâ jacabant ipse, tendentium, cedendum tempestivè ratus viam ad amnem cum socijs relegit: quo cum ventum esset, advertunt deesse nautam cum scapha, ignari an in manus hostis inciderit, an timore obtutus ad alterum se cum scapha litus salvaverit: steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit: donec eos nautæ socius, quem secum à scapha abduxisse memoravimus, restitueret, suggesto in arena consilio: Eja viri, inquiens, me sequimini, ego per hunc, qui ante nos est, Danubij alveum vadum scio, id tentate me ductore, nec timete eluctabimur incolimes; nec mora: descendit in alveum, sequuntur cæteri, proceditur madido ordine, statur, natatur, hæretur, timetur, speratur, nec ullibi aqua erat demissior, quam ubi scapulas contegebant.

Eluctati tamen sunt omnes incolumes præsenti periculo libertati, nautam autem nusquam reperiunt, nec reperere postea, gravi alijs pœnâ mulctandum.

Crescebant interea aquæ Danubij, quæ pontem, (H.) quem Turcæ supernè ramum, urbem inter & Nusdorffium straverant, disrupere. Turcis mox rates adverso amne advehentibus, queis ocyius refieret, ut eâ nocte factum fuisse sequenti mox die deprehendimus: quæ erat

Augusti septima: quâ remotioribus trans Danubium locis Moravum (a) amnem inter & Moravicam Regionem versùs, fumos ingentes quasi ignium ex turre Sancti Stephani vidimus sub horam quintam vespertinam, qui tamen sub octavam desierunt videri: ignorabamus quid esset & unde? suspicamur tamen Teôckeölios esse, qui Vagum prætergressi istic more suo sàvirent; nec vanam fuisse suspicionem tempus postea docuit, quo Dux rescripsit, vapulasse à se Teôckeölium ad Moravum amnem, retroactumq[ue] ad Vagum, uti suo loco narrabitur.

Hac autem nocte ferociter iterum est dimicatum: nam Turcæ
G isti

(a) Marchæ.

isti terræ spatio eminentiori, quo nuper erant potiti, à nostris super eodem horizonte post receptacula excubantibus hinc & hinc interclusi, iictibusq; sclopetorum expositi, quād diligentissimè, ne ulterius serperent, egerentes terram, post quam in profundo tuitiores essent, cum hoc obtinuissent; cäperunt deinde humum dejicere à spondā in imum fossæ, quæ est Revelinum inter & spondam, quā fossam æquare cum spondā nitebantur & Revelini corona (Conett vocant Machinatores) quò facilius deinde assaltum adornarent. Hanc humum nostri monotrochijs (a) clam, quantum licuit, è fundo avehere aliorum aliquamdiu moliti sunt: sed cum hostem per teatas & concameratas sub terra testudines à vertice obfidionalium ad ima fossæ ductas (Zappas (24.) aut galerias appellant) relictō, quem fodiendo mentiebatur, descensu, in ipsam Urbis fossam (13.) versus Löbelianum propugnaculum cum ingenti impetu numeroq; magno viderent erumpere, abjectis monotrochijs, ad propulsandum eum se astutum parant: dumq; hi parant, & alij ad sublevandos accurrunt, cäduntur ex nostris plures, è Mansfeldianâ præcipue legione, cuius Subtribunus ipse Alexander Comes à Leslie, Generalis rei tormentariæ Præfecti frater; dum animare militem instat & restaurare cæpta, glande sclopeti trajectus cecidit: levatus autem humo cum audiretur adhuc vivere & loqui, asportatur à pugnæ loco in Palatum Principis Liechtensteinij (cuius filiam frater Uxorem habet) ibi q; haud ita diu post Sacramentis piè munitus occubuit: Vir juvenis & robustus, acris ingenij ad majora nati, nisi Parcae novercantes vitæ ejus stamina præmaturiū secuissent.

Die octavâ Mensis Augusti interdiu labores improbè continuant Turcæ, suntq; visi extollere humum & cuniculos agere in ipsa Revelini, & Civitatis fossa (13.) quā per cavernas subterraneas (b) ipsis descensus est, nec displosionibus tormentorum, aut manuum pyrobolorum evibratione possunt impediri, quod supernè se trabibus contegant, credunturq; effossâ sufficenter humo Revelinum tentaturi; unde propterea tormenta desuper plantata, retro sunt in Urbem Urbisq; mœnia tracta, relictis in Revelino viris cum sclopetis majoribus (c) queis damna dent hosti. Nocte vero concubiâ Daunius, Souchiusq; Comites, ut hoc filum Turcis intercederent, prudentissimo consilio & Generalis consensu, (quem sordidis-

simæ

(a) Scheibtruchen. (b) Zappas. (c) Doppelhaken.

sima dissenteria jam à biduo , quamvis impatientissimum , tenebat in lecto) eruptionem instituunt virorum plus minus trecentorum , qui viriliter adeò hoc munus gessere , ut ne quidquam Turcis obniten- tibus , ipsas eorum concameratas subterraneas testudines , (a) queis descensus ijs erat tutus in ima fossarum , igni cremarent , hostemq; abigerent.

Inde lætior affulsit aurora diei nonæ Mensis Augusti , quæ & ipsa sua dedit notatu digna : Namq; hodie Henricus Fridericus Baro à Kielmansegg Turcam in equo insignem qui supra pontem Carynthiacum denudatâ frameâ suâ , nescio quas gesticulationes fastuosè edebat , è propugnaculo Urbis , (25.) quod contra hunc pontem co- gnominem est , directo in eum scopeto collimans , ut est artis jaculatoriæ peritissimus , uno iictu ex equo elisum occidit .

Econtra hostis cuniculum succendit in Revelini fossâ sub mili- tari sepe inibi à nobis exstructâ (26.) qua succensione aliquot fudes disjecti , & quinq; nostrorum ex his , qui istic curabant , occisi sunt , omisso ulteriori prælio . Continuabant tamen fossiones assidue , ut reficerent opera , hesternâ eruptione combusta : nostris nova sem- per & nova in Revelino , & propugnaculis Palatino , & Löbeliano receptacula atq; repagula molientibus .

Emissus hodie horâ decimâ vespertinâ quidam , qui olim Lo- cumtenens fuerat sub Generalis Heisteri legione , deindè à Turcis captus , nunc refugus , Turcicæ linguæ gnarus , literas ad Ducem ferat , hâc conditione , ut signum daret eluctatus in alteram conti- nentem , igne accenso super vertice montis , quem Bisemberg (P.) vulgari notione vocamus , econtra primam centuriam redux , quæ vacaverit , recepturus .

Decima Augusti dies detexit novum Turcarum cuniculum , quem versus Revelini rostrum (b) deduxerant : quo succenso , nostrorum tres in aëra excussi , in priorem unde esilierant stationem rectâ relapsi sunt incolumes , interrogatiq; , qui valerent , num detrimenti quid- piam passi essent ? responderunt , nihil , sed vehementer se sitire : econtra Turcarum plurimi visi sunt eâdem succensione volitare per aëra , quod ignis succendendo cuniculo datus , pessulo minus arcte obducto , & occluso viam relegens quâ aér spirabat , vim suam in Au- thores Turcas rejecerit : continuati sunt tamen labores & tormen-

torum explosiones utrimque ; nostris hâc die è viginti duobus mortarijs pyrobolos partim , partim magni ponderis lapides transversim in obsidionales Turcarum vias ejaculari incipientibus , quod ipsis ingenti damno fuit.

Globus item è tormento hostili jactus hodie impegit in colubrinam (a) ex nostris unam , super palatino propugnaculo , disrupto que ejus orificio accedit & exonerat : libratore , qui basi curuli (b) insistebat unà cum tormento ad aliquot , uti fit , passus amoto & illæsores multis visa incredibilis , nisi subtribunus Geschwindius eam cum centenis alijs oculatis testibus nobis confirmasset.

Factum quoque hisce diebus , ut è Studiosis quidam Turcam prosterneret sclopeto iustum in fronte , carentemque harpagone extra palos exerto attraheret intra sepes , & caput amputaret : quod mox infixum perticæ per Urbem spectandum circumtulit , cùm prius stomachum secuisset , in quo sex Ducatos ex auro solido convolutos invénit.

Adolescens hodie annorum plus minus septendecim , qui in contubernio vixerat civis cujuspam pocillatoris aquarum citreorum succo & saccaro maceratarum , deprehensus est , dum per palos tentaret transitum ad Turcas : examinatus fatetur , se argenti numerandi spe seductum , jam tum semel atque iterum nuncium tulisse Turcis de Urbis statu , nuncque in commissis habuisse , ut referret , quot & qualia tormenta circum Urbem , quibusq; in locis sint plantatae pœnam sycophantæ suo loco narrabimus.

Undecimè Augusti sperabamus ignem visuros nos emissi tenentis in Biseimberg , sed dies illuxit , vidimus nihil . Cæterum cùm hodie hostis duos seorsim cuniculos succendisset irrito prorsùs effectu , Comes à Daun de nocte eruptionem adornavit in illum , cui Princeps Wirtenbergius addidit pondus erumpentium primipilus : eo egresso cum suis sub crepusculo noctis , cum cuniculum accenderent nostri in hostem , reboantibus contra Turcas tormentis globis minoribus , lapidibus etiam , & informibus ferri fragmentis (c) fortis , barbari èa peste adeò sunt consternati , ut retrocesserint in obsidionalium ima : quò persecuti eos Princeps & Polheimius Baro Locomtenens Souchianæ legionis , manualium pyrobolorum imbre-

tex-

(a) Ein Schlangen.

(c) Cartatschen.

texerunt. Non tamen incruenta & nobis stetit hæc eruptio : nam
40. nostrorum èâ dicti sunt, aut cæsi esse, aut læsi.

Multa hic possent recenseri, quæ hisce diebus à yarijs ad nos in captivitatem adductis variè sunt relata, sed quia eventus docuit ficta fuisse, supersedeo Lector mihi scribendi onere, tibi mandacia legendi molestiâ.

Hodie Baro Walterus de Gall, qui recenter Gallenfelsio legio-
nis Mansfeldianæ supremo Instructori defuncto fuerat suffectus, Sub-
tribuno Lesleio his diebus etiam fatis functo, surrogatur, ringenti-
bus dignitatis æmulis.

DUODECIMÀ die mensis Augusti tandem, horam duodecimam meridianam inter & primam cuniculos suos subterraneos, quos sub Revelini rostrum hucusque promoverant, succenderunt Turcæ eo fragore, ut media Urbis pars (sensimus prandentes) concussa contremuerit, eo effectu, ut in apicem ejus disjectum ocyus tentarent assaltum, sed masculâ nostrorum istic curantium virtute repulsi pedem tunc istic figere non potuerant, sed coacti sunt stationem deferere haud sine multorum hinc & inde strage, è nostris plus minus centum aut cæsis, aut læsis : Serenihic & Scherffenbergius Comites ingentem laudem sunt præmeriti, qui rerum istic moderabantur, Comite Daunio novo iterum dissenteriæ morbo in lectulum dejecto.

DECIMÀ tertîâ Augusti : nocte præteritâ visum est signale promissum à Locumtenente literarum ad Ducem portatore, de quo suprà : adeò ut inde jam certi simus, concreditas ei literas devenisse in manus Ducis, quæ de statu Urbis eum abundè informent, sed & alius hodie emissus est ad Ducem cum literis, Georgius Franciscus Kotschitzky dictus, olim Interpres Societatis Orientalis, qui assumpto sibi famulo suo, etiam Turcicæ linguæ gnaro, quomodo iverit & rediverit, postea leges ad vigesimum hujus mensis diem. Cæterum Turcæ hodie gnaviter fodunt, non curatâ tormentorum nostrorum displosione assiduâ, promoventq; denuò ita labores suos, ut sub horam octavam vespertinam novum cuniculum succenderent, quem subruendæ novæ Revelini parti ab hesterna die substruxerant ; sed cavit DEI bonitas, ut concipiens ignem pulvis ad somitem remitteret, antraq; perrumpens ingens damnum daret ipsissimis Turcarum Operis, adeò ut ultra tentare nihil sint ausi.

Excusus autem hodie ex hostili mortario pyrobolus in oneratæ mediæ Cartaunæ tubum decidens, moxque diffiliens accedit tormentum, quod inde displosum est; idemque contigit die sequenti, quæ fuit

Decima quarta Augusti: quâ continuarunt indefessè labores suos, & pyrobolorum lapidumq; evibrationes pro more Turcæ, nostris horrendum contra detonantibus: Indicibile est, quâ se profundè immergant foveis, quas egesserunt altitudine novem pedum, conteguntq; tabulatis propediem, sub quibus dein delitescunt tuti, prosequunturq; labores. Horâ sextâ pomeridianâ cuniculum succenderunt à facie dextra Revelini: quæ tamen succensio nostris sine jactura, ipsis autem Turcis magno damno fuit. Hac nocte promptas fuisse obsidionales eorum vias in fossa Urbis contra Revelinum, vidi-
mus manè

Die decimâ quintâ Augusti; quâ rarior erat hostis in displosi-
nibus tormentorum: sed mortariorum, pyrobolis partim, partim
lapidibus fartorum non æquè: cum ingenti nostrorum incommodo,
Horâ nonâ matutinâ ante faciem dexteram propugnaculi palatini,
cuniculum succedit in sponda Revelini, at sine effectu: nocte la-
xavit spatia focearum suarum in fossa Löbelianum versus, fixitq;
pedem in Radice Revelini, quâ parte disjectum id nuper est. Econ-
tra quâ diligentissimè curavit Generalis noster, quæ distinere &
arcere assulturos possunt, in Revelino maximè jam quassato, pro-
pugnaculisque ambobus Palatino & Löbeliano, & altero Melicensi
Revelino (27.) quod à cognomine propugnaculo ad Löbelianum
porrigitur, ubi novos continuò aggeres congestitiâ terrâ fecit at-
tolli alterno semper labro altiores, (a) castrensis ad instar sepis:
quos deindè infixis palis ac trabibus muniri, atque ita ab invicem fe-
cit distingui, ut plura semper spatia separatim complexi, nullum ta-
men 24. pedes statione excederet, quin distinctis semper aggeribus
atque repagulis esset à vicinis intermediâ novâ sepe discriminatus,
eo providentissimo fine, ut assulturus aliquando hostis, si unum for-
te spatiolum insideret, in novos hos obices semper impingens, à no-
stris, qui post starent, novis semper prælijs innodatus, tormentis &
sclopeticis expositus arceretur. Sed & valla omnia & Cortinas di-
torum jam locorum jussit per coronamenta incidi fissuris grandibus,
ut

(a) Abschnitt.

ut tormenta inde tutius exonerarentur , quorum plurima longo or-
dine istic disposita.

Hodie item viisi sunt currus permulti , onerati que Cameli ho-
stibus castris succedere , quibus quidem militarem annonam illis
advehi nos conjectabamus , nec vanè : Quando alterā post die , quā
erat Mensis

Decima sexta , experti sumus incommodo nostro , quod tor-
mentorū displosionibus , evibrationibꝫ; pyrobolorum , queis
rarior fuerat diebus præteritis , nunc densior esset , pronotis inte-
rim indefesè interdiu laboribus suis , donec post meridiem eru-
ptionem adornarent nostrorum viri plus minus ducenti , qui irruen-
tes in opera hostis juxta Löbelianum propugnaculum per ima fossæ
ducta , ea penitus complanarunt , è nostris vix novem desideratis.
Fuit hæc prosperrima eruptio omnium , quæ hactenùs factæ sunt ,
quam Generalis Stharenbergij jussu prudenter & fortiter adorna-
runt Sereni & Scherfenbergius Comites , ambo facti saucij lapidibus
è mortario excusſis .

Ferdinando Gotscalko Heistermanno (quem Generalis Co-
mes à Stharenberg , cuius Adjutans ante fuerat , Capitaneum suæ-
met legionis creaverat) illà in eruptione generosè operam suam ac-
commodante : quippè qui in singulare cum Turcâ certamen casu in-
dutus , acinacem ei eluctatus è manibus est , quo luctatoris caput
dissecuit , paloqué infixit , acinacem autem elegantem , ut sanguinolentus
erat , post opus transactum , Generali suo ex dissenteriâ
adhuc decumbenti tulit dono , gratum habenti , quod novus hic suæ
legioni adlectus miles tam decumanum mox valoris sui specimen
edidisset .

Sub septimam vespertinam novum nostri cuniculum sub luxato
jam sape Revelino succendent ad latus , quod insederat hostis , eo
fructu , ut stationem illam deserere is , atque in pristinam se sub ro-
stro Revelini cogefetur recondere . Horā decimā nocturnā denuò
tentarunt Turcæ per testudines suas & cryptas subterraneas (a)
remeare in ima fossæ & opera sua , (24.) quæ juxta Löbelianum ef-
fossa pridie , eâ die complanaverant in eruptione nostri , reficere ; eo
fine vimineos corbes seu pluteos , (b) saccosque lanâ fartos ante se
agentes , ut post hos tuiiores à pilis repetere labores possent : quos

contra

(a) Zappas & Gallerias . (b) Schanzlörb.

contra nitentes, Comes Daunius Generalis, Comes Souchius & Beckius Baro, qui sub horam quartam pomeridianam, solito more, prioribus istic Comiti Sereni, Scherfenbergio, & Wittenbergio Principi cum suis successerant, post mediae iterum horae conflictum fortiter & feliciter retuderunt, adeò quidem, ut non in fossa modo, sed & in superiore ejusdem sponda, vimineos corbes & facos, quos istic congererant Turcae, aut asportarint nostri, aut cremaverint flamnis; post quæ satis habuit hostis in pristina excisi Revelini antra secedere. Cæterum hâc nocte nihil præterea: nam pluvia pugnas diremit; quæ alijs apud nos rara fuit, disjicientibus tormentorum explosionibus continua nubes passim omnes, si quæ in tempestatem condensabantur.

Hâc die nebulones bini, alter ex Beckianâ legione, eque præsidio urbico alter, tentarunt fugam per palos extimos Urbis: qui autem retracti à nostris sunt dati in custodiam: ut causâ eorum penitus introspectâ luant pœnas promeritas, prout suo loco narrabitur.

Decima septima dies Augusti detexit nobis suggestum super fossis ob sidionalibus eductum, (28.) cui tria tormenta superimposuit hostis haud procul à sponda, Löbelianum propugnaculum quatientia, sed non diu: nam quatuor Cartaunæ, quas oxyus contra reboare è Lorica sive Cortina (17.) propugnaculis intermedia Generalis mandaverat, displosæ, coegerunt hostilia tria tormenta filere: alijs autem è locis & suggestibus frequentatae sunt displosiones consueto more. Horâ nonâ matutinâ eruptionem faciunt nostri in fossam ante Löbelianum propugnaculum, sed irrito conatu: quippe qui condensantibus se contra eos Turcis, intra mœnia recipere sese sunt necessitati, è contra hostis vespere horam septimam inter & octavam cuniculum accedit sub Revelino quassato, & assultum tentavit, quem quidem mascula nostrorum virtus coercuit, assilientibus retroulisis; hoc tamen haud tacebimus. Inter assaltum hunc postremum gregarius quidam singulari cum Turca certamini impletus, cum diu colluctatus, tandem adversarij framea potiretur, caput antagonistæ detruncat, visitatque marsupia: ubi cum penulam haud elegantem reperisset, in eaque consutum æs, clam sinu recondit, donec transactâ velitatione rediret ad Urbem; tunc enim verò in

in dissecto linteolo cum centum aureos numeraret unius monetæ, homo extra se ire sui impos, lymphaticoque similis cursitare per Urbis compita, stupescere, hærere, mirari, manibus plaudere & lætari, ceu quo hominum nemo jam felicior, beatiorque sit, obtentâ tantâ auri summâ : cui obvij quique rem edocti applaudunt, cæterosque accendent ad similes tentandos cum Turcis congressus, queis aurum ipsis in sinum pluat.

Redierunt & hac die Raziani duo, Georgius Franciscus Kot-schinsky, & famulus ejus, nuper cum literis hinc missi ad Ducem, reportantes responsum, quo de succursu sub finem Mensis adsuturo reddebamur certi. Horum virorum felicis ad nos redditus signum sub noctem est datum è Sancti Stephani turre missilium ignium tenaci flamma perticis adhærentium (a) evibratione in altum..

Decimâ octavâ Augusti, tempore matutino eruptionem tentarunt nostri in rostrum Revelini quassati, eo fine, ut Turcas inibi delitescentes abigerent, sed non respondit eventus ; nihil enim est aetum, nisi quod captivum unum abduxerint : horâ quintâ pomericianâ autem ipsimet Turcae ad ipsiusmet quassati Revelini latus, abs Urbe spectantibus dexterum, succendere cuniculum, quo eversa iterum terræ moles spatha ita hosti laxavit, ut duodecim illic vexilla defigeret, ferociterq; instaret ; cui obviam euns Comes Scherf-fenbergius suam iterum hac occasione virtutem exercuit, cadente ad latus ipsius Dupegnio equitum Tribuno, qui, quod eques vix posset quidpiam patrare dignum laude, pedes hodie in eum accinctus, rem ad miraculum benè gessit cum suis, qui peditem Tribunum sequabantur, ex equitibus tantisper pedites facti : Baro d'Asti quoq; hic laudem promeritus est, & Equitum Magister de Chauville cæsus, cuius pater deinde grandævus & Tribunus Duci Lotharingie in primis charus, Dupegnianâ legione donatus est : econtra Turcarum, ajunt, hac dimicatione cecidisse quadringentos,

Decimâ nonâ Augusti. Parcè hostis tormenta displosit, nec è majoribus ullum : econtra è mortarijs excussit pyrobolos lapidesq; in copiâ, gravi nostrorum incommodo. Horâ septimâ matutinâ cuniculum succendunt nostri sub quassatis Revelini lateribus, quæ Turcae insederant heri, eaq; succensione effectum est, ut excussa inde

terræ mole Turcæ intus & infra locati , obruerentur , quicunq; se
inde non proripuerunt in tempore ; atque ita luxatae eæ Revelinæ
partes iterum sunt ab omni hoste desertæ , nisi quod sub noctem la-
bores resumpserit , queis egestâ diligentissimè humo in pristinos Re-
velini nidos rediret.

Sub nonam matutinam vidimus oculis nostris exire è spondâ
fossæ per palos ante Carynthiacam portam viros gregarios decem
& quatuor , cum Ductore uno ; rectaq; ferri in pecorum , vineas istic
proximas depascentium greges ; dispositis per viarum accessus hinc
inde , qui adventantes forte Turcas armatos arcerent , non curatis
gregum custodibus , quorum viginti facilè erant , sed inermes ; abi-
gere boves triginta & duos , qui feliciter in extimam fossam , indeque
deinceps in Urbem recepti sunt , custodibus reliquum pecus innocue
foras ad remotiora agentibus .

Vigesimâ Augusti die horrendum detonuerunt tormentis & py-
robolis in propugnacula solito more Turcæ , queis Wolfgangus
Henricus Schenchius sub Kaysersteinianâ legione Subtribunus , vir
planè egregius sauciatus in humero est , indeq; multis post diebus
defunctus : Capitaneus autem Hillerus alio globo trajectus in sta-
tione quâ erat , statim occubuit : Turcis adhuc occupatis , ut pristinos
Revelini nidos recuperent .

Sub horam decimam noctis emissus ex Urbe cum literis ad Du-
cem est Razianorum eorum alter alterius famulus ; qui nuper bini
dimissi officioq; benè functi feliciter ad nos redierant . Narrarunt
hi , dum nuper hinc per noctem dimissi essent , non abijisse se procul
ea nocte , sed mox ut vineas attigissent , sub radice montis Cæsij (a)
fronde super viridi reclinatos operijsse diluculum : orto eo cum
pergerent , interrogatos esse abs obvijs , quinam essent & unde ? re-
spondisse , Belgradiensem unum esse , & Uivariensem alterum : mer-
caturam exercuisse ad tempus in castris , sed exutos fortunulis suis ,
nunc per vineas fructus querere & obsonij aliquid , quo fami subve-
niant : Cavete (dixisse ad hæc Turcam) ne vineas pererrando e-
vagemini longius , nam in propinguo hostis excubat , ne in ejus ma-
nus deveniatis . Hoc defunctos examine promovisse iter ex pro-
fesso erraticum , vagatosq; per vineas , colligentes uvas & mala per-
sica : dumque altius ascenderent , despexisse se inde Danubij alve-
um ,

(a) Galenberg.

um, ultra quem viderint nostrorum, qui juxta pontes curabant, ut supra nos scripsimus, pansa tentoria: (F.) in medio autem fluminis agreste hominum Christianorum genus in Insulâ istic exulantium, scaphasq; ac cymbas secum habentium: (O.) unde paulatim ex alto declives, errante per varia gressu sub crepusculum vespertinum litorii viciniores se factos signum dedisse his, qui in Insulâ erant, ut cymbâ adductâ se transfretarent; venisseq; duos in scapha, nec tamen ad litus usque, sed remotiores inde sciscitatos prius, quinam & an Christiani? cumq; nutibus respondissent, quod sic: & pro veritatis signo Crucis signum formassent in fronte; viros hos fidem adhibentes appulso ad litus, utrumq; ascensa navi in Insulam deportasse: appulso vidisse se ingentem istic omnis sexus exulantium gregem. coquentium & cenantium, bibentium etiam vinum, quod de nocte Danubium scaphis transvecti Nusdorffio vicinisq; è pagis furtim asportent; edocti, non licere Turcis per legem de nocte alibi, quam in Castris sub tentorijs esse, nisi munere aliquo militari distentis: itaq; anticipitem istic hactenus vitam ducere.

Excubare autem ultra alteram ejus Insulæ ripam legiones aliquot Cæsarî, quorum Officiales pauculis ante diebus pedites, comitati pluribus gregarijs armatis, per tenebras & silentia noctis transfretaverint ad litus unde nunc veniant: relictisque ad ripam scaphis & cymbis sub crepusculum reptando ascendisse in vinearum alta, queis sub paucis custodibus tuti etiam per noctem pabulabantur Camelorum greges, horum multos in declivia egisse ad usque amnis ripam (Turcis vel non advertentibus, vel existimantibus, eos ad adaquandum agi) ibique colligatos tumultuarie eorum aliquot, inscensis cymbis, milites tenuisse loris, quos juxta cymbas natare occipientes, reliqui etiam non ligati exemplo præeuntium ducti natando sint longo ordine ad Insulam insequuti; ex Insulâ dein in continentem, quæ legiones stabant, eluctati numero facile trecenti & ultra. Sicque recreatos hisce sermonibus vinoq; ac cœnula refectos traduxisse ad officiales, qui fuerant Donatus Heislerus Dimachorum Tribunus, Petrus Ricciardi Croatarum Tribunus, & Ludovicus Comes Archynto legionis pedestris Lotharingiæ, Ducis filij, Subtribunus; à quibus humaniter excepti, cum itineris causam exposuissent, equis sint & necessarijs instructi, queis tuti ad Ducem pervenirent, clementer ab eo excepti, beneq; habití, donec

redditis deinde literis Viennam iterum expedirentur : quo eādem regressi viam feliciter sint reversi.


Conspeximus hodie oculis nostris libratorem tormenti in Revelino (29.) quod portæ Carynthiacæ (25.) & hydragogico (18.) (a) propugnaculo intermedium est, quod in Turcam, dum is in torrente, Vienna (Q.) dicto, phaleratos purpureosq; instratos panno equos duos eminus & à longe ad lora dicens adaquaret, exonerarit tormentum, cuius globus excussus utramq; misero tibiam dissecuit: inde cadens, lora tamen, queis equos duxerat, è manibus haud dimisit, sed moriendo retinuit: donec quadrante post accedentes duo Turcæ equos à fragore globi spumantes adhuc, & turbidos solverent & abducerent, homine destituto: supervenientes autem ex intervallo alij, postquam singulatim accedentes jam mortuum denudassent vestibus, eas quidem abstulerunt & hi; cadaver autem insepultum reliquerunt canibus: uti per tubum prospicientibus pallam erat. Unde didicimus, Christianum eum fuisse, Turcarum mancipium, qui Turcico vestitu amictus eorum habitu ad equorum curas damnatus fuerit, quales Turcæ nullâ sepulturâ dignantur, cùm aliàs neminem, modo Turca fuerit, insepultum destituant, sed in præsentissimo etiam commoriendi periculo abreptum dent sepulturæ.

Vigesimâ primâ Augusti. Tormentis summo mane barbarè salvavit nos hostis, pyrobolisq; excussis jussit somno surgere, tum projectaculo cuniculum succendit Löbelianum versus, sed nullo effectu: ideoq; nec assultum tentavit, sed in id incubuit, ut obsidionales in Urbis fossa vias laxaret. Vespere sub horam sextam iterum cuniculum in eadem plaga succendit, pari, id est, nullo effectu. Hodie transfuga vénit ad nos, referens inter cætera, quod octava & vigesimâ mensis singulare quodpiam facinus sint edituri Turcæ, quantum intellexerit. Vidimus item hodie à nostris per palos ante portam Carynthiacam duos equos ephippijs sarcinisq; tectos, & Janitserum sclopeto iustum semianimum in Urbem introduci: ex quo cum varia de Castrorum hostilium statu intellexisset Generalis, jussit benè haberri & curari Turcam, ut sanaretur.

Hac quoque die è Croatarum legione Ricciardiana homo quidam, quem Serenissimus Lotharingiæ Dux ad nos miserat, dum trānando

(a) Die Wasser-Kunst.

Eben am heutigen Tag/ als den 16.Augusti/ nachdem der Herr General Wachtmeister Graff Sereni vnd Herr von Scherffenberg als Brigadier neben dem Herrn Obristen Herzogen von Würtenberg durch den Herrn Graffen von Daun General-Wachtmeistern Graven de Sousches als Brigadier vnd Herrn Obristen Frey-Herrn von Beck abgelöst warden/ vnd diese nun das Commando daselbst führeten/ so nahme ged. General Herr Graff von Daun war/ daß die Türken sich abermahl höchstens bemüheten/ ihre vorige Arbeit in dem Graben/ so immediate vorhero von denen obenbenenten dreyen hohen Officiern complanirt ware/ wiederumb zu reassumirn. Es wolte aber der Herr Graff von Daun auf keine weise zugeben/ daß vnder der Zeit seines Commando dem Feind Zeit vnd Weihl folte gelassen werden/ dasjenige wieder auff zuwerffen/ was die vorige ihm zu geworffen hatten: Redete derowegen den Herrn Brigadier Graffen Sousches/ so seinen posto auff dem Revellin vorm Burg/ Thor hatte/ vnd den Herrn Obristen Frey-Herrn von Beck/ so auff dem Revellin vor der Löbel-Pastey stunde/an/ vnd machte die Anstalt/ daß so bald auff der Burg-Pastey zwey Böller losz gehen würden/ sie zu beyden Seithen zugleich Außfallen/ vnd auff alle weise sich bemühen solten/ den Feind von seiner wieder angefangenen Arbeit zu vertreiben/ massen auch zu ihrem grossen Ruhmb geschehen ist/ dann da die concertirte Lösung Abents gegen 10.Uhr auff zweyen Böllern gegeben ward/ geschahc alsobald beyder seits der Außfall/ vnd wurden immerzu mit newer Mannschafft secundirt/ vnd dergestalt tapfser astterfolgt/ daß nit allein der Feind von der Arbeit abgetrieben sondern auch alle seine Gallerien/ so beyderseits mit Holz aufgesetzt/ gefüttert vnd bedeckt waren/ auch die Zoppen/ Schanz-Körbe vnd Pallisaden angezündet warden/ wozu der favorable Wind selbst vil contribuirte/ der die Flammen auffwärts gegen vnd in des Feindts Approschen trieb/ vnd den Feind necessirte die Posten zu verlassen/ also daß ihns wieder eine neue Arbeit auff viele Täg geschafft worden.



nāndo ramum amni jam superasset , deprehenderetur à Janitēro , cui antea in Ungariae finibus fuerat notus , & jam uti proditor suspectus ; in eoq̄e erat , ut ad Vezirium traheretur . Nisi à supervenientibus istac casu servitoribus Residentis Cæsarei à Kunitz lenitus homo trux , sivisset se flecti , ut ad Residentem duci Croatam permitteret . Ille mox occasionem quamcunq; captavit immittendi hominem in Urbem : sed quòd id impracticabile videretur , curavit sedulo , ut amici cujusp̄iam familiaris sibi operā per Insulam Leopoldopolitanam , ubi Moldavi , Valachique curabant , eluso Kara Mehemet Bassa , cum Turcis , ad alterum Danubij litus eluctaretur : unde dein ad Ducem salvus reversus est .

Vigesimā secundā Augusti , nostri sub horam undecimam antemeridianam succenderunt cuniculum , quem sub toties jam luxato Revelino adhuc effoderant ; eo effectu , ut excussa in altum humus , atq̄ue in opera hostis relapsa , ea penitus , & qui laborabant in illis , terrā contexerit : nisi quòd aliquot Turcæ capitibus adhuc humo exstāre sint visi , quos currentes mox alij magno numero , instauratis laboribus eximere sunt enixè conati . Cæterūm hodie usq̄ue ad decimam noctis acriter dimicatum pro loco est , hinc ut arceretur hostis , illinc ut superaretur Revelinum , quem in finem Turcæ denuò minorem cuniculum incenderunt in superiore sponda , quò descensum laxarent , nostris contra jacentibus indesinenter pyrobolos manuales , quibus tamen vix ullum potuit dari Turcis damnum , quòd cuniculos illi suos & egestas humo cavernas superne omnes asseribus contexissent , in quos pyroboli incidentes his , qui subtus erant , nil poterant creare incommodi : unde pyrobolis & tormentis ferocius è vallis & mœnibus nostris fuit agendum , ut arceretur hostis à propugnaculi palatini muris (7.) queis ductis præter Revelinum sub terra meatibus , insidiabatur .

Dumq̄ue hæc ad Urbem sunt , videntur hi , qui ultra pontes Danubij (F.) excubuerant , plicatis tentorijs alio , desertâ statione , migrare : credunturq̄e juncturi se Duci , ut succursum , quem indies nunc exspectamus , adaugeant : transitoq̄ue propè Cremsium ponte ad nos salvandos per agros Tulnenses Cæsiōsque montes (E.) deproperent . Spem hanc nobis faciebat , qui hodie denuò ad nos feliciter reversus est Razius , cum literis Ducis , quæ docebant :

"Commeare jam in unum exercitus , appropinquareq; Crembsio , Bavaros , Saxones , Francos , Polonos & Cæsareos . Polo-
 "niæ Regem accelerare in Persona , uti & Bavariæ , Saxonieque E-
 "lectores : quibus , & Viennæ suæ ut vicinior sit Imperator , descen-
 "suram quoque Lintzio Majestatem ejus ; versari autem totius ne-
 "gotij in eo cardinem , ut tantillo adhuc tempore resistatur hosti ;
 "quò coadunari in unum omnes possint , quod sub finem hujus men-
 "sis speret futurum : interim se Crembsium versus movere , ut pon-
 "tibus istic struendis instet præsens , nec omittatur quidpiam , quod
 "promovere succursum adeò nobilem & necessarium queat ; subi-
 "turum se prius quodvis qualecunque periculum . tentaturumque
 "omnia ante , quam Viennam relinquat : quod omnino abs omni-
 "bus credi desideret , sciriique , vigesimâ nonâ Julij Teöckeölium .
 "juxta Posonium à se victum vapulasse , Schintam usq; ad Vagum
 "amnem profligatum esse , & omnibus impedimentis exutum , na-
 "ves , quas super amne Vago , construendo ponti congeßerat , per-
 "foratas partim , partim esse combustas , ne usui esse deinceps pos-
 "sint ; Posoniumque Urbem quam dedititiam sibi Teöckeölius fe-
 "cerat , devotioni Cæsaris restitutam .. Alteram autem victoriam
 "de eodem Teöckeölio reportasse ad Moravum (a) amnem , quâ
 "decem labara hosti sint erepta , & plurimi cæsi : in hunc sensum
 Dux literas scripsit . Quæ erexerunt animos multorum , Religio-
 forum maximè , Ecclesiasticorum & Civium , quorum quotidie in-
 firmabantur , moriebanturque quam plurimi . Morborum (dissenten-
 riæ præsertim , quæ passim grassabatur in Urbe) causam tribuebant
 prudentiores victui non sueto ; puta , bubulae salitæ continuæ , quæ
 plerisque ordinaria fuit , multis nulla planè , nec obsonij quidpiam ,
 nec farinæ nitidioris & teneræ , cuius Austriacis alias diebus piscu-
 lentis in cibaria multus est usus , similiumque penuria , quâ dissenten-
 riæ malum ajebant causatum ; quo præter ignotum vulgus , ex ho-
 norationibus familijs in lectum dejecti plerique , in sepulchrum mul-
 ti : Joannes Schmidsberger imprimis , Abbas Scotensis , &c. de-
 quo supra : Petrus Vautier , Præpositus ad Sanctum Stephanum , &
 Universitatis Viennensis Cancellarius , tum Laurentius Grünerus ,
 Theologiae Doctor , Canonicus Sancti Stephani , Cantor , & pro
 tempore Universitatis Viennensis Rector : Joannes Jacobus Gop-
 poltus

(a) Marcha.

poltus , Aulici Imperialis Dicasterij Consiliarius : Christophorus de Catena , Canonicus Sancti Stephani , Joannes Andreas Liebenbergerus , Civitatis Consul , N. Schiltbacherus Medicinæ Doctor , Paulus Scherza , Georgius Widelus , Doctores Juris : Balthasar Heroltus tormentorum fusor . Daniel Müllerus Pharmacopæus Castrensis . Pater Christophorus Schweizer Ordinis Prædicatorum , Pœnitentiarius Apostolicus , Vir religiosus planè & animarum Zelotes , omni passim hominum ordini & sexui ob integritatem morum & vitæ innocentiam gratus , à multis post obitum deploratus . Uti & Pater Vincentius Bauman . Subprior ejusdem Conventus cum alijs plus minus quindecim , qui læsis aut ægris istic militibus per Monasterij ambitum decumbentibus religiosâ charitate dum inserviunt , contracto ferè omnes ex fœtore , turpissimo morbo , succubuerunt ; idque cæteris passim Religiosis ex eodem ferè fonte contigit .

Accidit autem à morte Rectoris Magnifici Grüneri , ut Rectratus Universitatis vacaret : cui tamen mox per electionem Consistorialem suffectus Joannes Baptista Mayerus Tyrolensis , Cathedralis S. Stephani Decanus , & Episcopi Viennensis Emerici Officialis est : qui & ephemeride honoratus confessim succollavit officio : in quo , quod & Præposito ædis Vautiero defuncto ex gratia Imperatoris succederet , Cancellarij Universitatis munus unà conjunctum est .

Sed redeat nobis in memoriam dies vigesima secunda Augusti , quâ hæc recensemus , & addamus narrationi ; quod eâ die nostri cœperint succensa sulphure & pice farta vasa è propugnaculorum Palatini & Lôbeliani verticibus in imam fossam dejicere , alereque flammarum superjectâ continuò dies & noctes lignorum strue , quæ arderet simul & luceret in fossis : impedituri hac methodo , ut ne ad rostra hostis appropinquare , inibiq; agere cuniculos ad subvertenda posset , nec vanè . Nam omisso deinceps rostro & declinato igne , cuniculos egerunt ad latera , ut suo loco videbimus .

Vigesimâ tertiatâ Augusti improbo suo labore hostis fodiendo terram egerit meatibus supernè testis subterraneis tribus (quas gallerias appellant) queis dilabens , & subitus ad imum spondæ densato numero erumpens , rectâ in quassatum toties Revelinum assurgit , inibiisque se humo operit suum aut talparum more , quo

quo tamen haec tenus plus nihil obtinuit , quām quōd tertiā Revelini parte nostris per vices debellatis potitus sit , reliquas adhuc nostri post novas semper , & novas militares sepes egestas stantes , defēdunt.

Turcam heri , sub vesperum exeuntes ex nostris aliqui , cum nocte delituisserent post suburbij Carynthiaci busta , hodie summo mane glande trajectum excusserunt equo semivivum , cōperuntq; socium ejus , qui comitabatur pedes vervecinam deferens ad aīandum , quem unā & equum deducunt : semi-autem animem Turcam intra palos spondæ intromissi asportant in Urbem per subterraneas cryptas , quibus cum animadverterent hominem jam morti vicinum , capite minuerunt succollationis tēdio : pedite vivo (qui in Polonia natus , olim captivus à Turcis abductus in juventute fuerat factus Turca) ad Generalem deducto ; à quo propter temulentiam hominis continua vix aliquid solidi fuit addiscere .

Interim hostis novum hodie succendit cuniculum ad sinistrum Revelini toties tentati , toties luxati latus , ut fodientibus parceret , disiectā iterum terræ mole procurrendi spatia laxante , quæ alias palis fuisse egerenda , declinantibus apertam pugnam Turcis : quo quidem militantibus parcitur , sed tempus longum requiritur , quale nos speramus eos haud habituros in futurum , accelerantibus suppetijs nostris .

Increbescebat præterea rumor , intellectum esse à transfuga , quod hostis effodiendis meatibus subterraneis dies & noctes infestans , studeat illac sub mœniorum cortina seu lorica per cellas vinarias Aulæ , penetrare in Urbem ; Id tametsi haud creditum , tamen effecit , ut Bipenniferis Cæsaris , qui Custodiæ Aulæ relicti sunt , demandaretur Provincia excubandi in cellis , constituendique circitores , (a) qui obeuentes horis singulis referant oxyus , quidquid in hoc genete essent notaturi : prout & nuper per toram Civitatem mandatum fuisse , supra narravimus . Utilis certè in casum provisio , cui ægrè subscripserunt , qui istic Cæsarei vini promi erant & condit , deprecantes hanc ejuscemodi virorum in cellas intromissionem , quod essent vino illaturi pestem . Nos judicium nostrum suspendimus .

Vigesimā quartā Augusti visi sunt Turcæ diversis navigijs consensis , equisque ad lora juxta naves natantibus ad alterum litus , transire

(a) Rund.

transire Danubium , pagosq; obvios , arcis & oppida ad miliaria aliquot in cineres redigere . Nempè deseruerant nostri , qui ad pontes (F.) excubuerant , duobus ante diebus stationem suam , ut Ducis se sisterent : hinc tutus jam hosti transitus , & adversæ continentis devastatio . Commodum autem benignâ DEI providentiâ factum est , ut Poloni isthac die posterâ proficiscentes Cremsium , eminus visis fumigantibus vicis ac arcibus , turmatim illuc excurserent , reperitosq; Turcas ingenti facta strage confusos ad Danubij litus repellerent , in quem cum se tumultuariè fugitivi conjicerent , tranando vitam salvaturi , evitatis frameis Polonorum , maximam partem undis sunt suffocati . Quæ dum patiuntur ad alteram Danubij ripam Turcæ ; hi qui sub Urbe erant , validè nos tormentis quatiant , qui obsessi sumus : meatum imprimis subterraneum promoverent ; quo succenso sperant integrum deindè Revelinum iri subversum : quod animadvertisentes in excubijs nostri , Hafnerum monent . Is assumptis oxyis ad labores viris centum , effodere incipit supernè humum , quæ subtus inaudierant hostium malleos : cumq; quatuor plus minus pedum altitudinem super Revelino egesissent terram ; detegitur adversus cuniculus hostium , quem jam septem orgijs (a) sub Revelino ultra receptacula nostra promoverant : detecti ergo hac egregiâ Hafneri operâ Turcæ cum frustra labores hos suos hac vice esse conspicerent , omnes aufererunt ex antro , relicts post se manualibus instrumentis , quæ asportarunt nostri : sicque eo nunc metu sumus defuncti , quo credebamus venturâ nocte eo Revelino depositiendi .

Vigesima quinta Augusti dies cruenta nobis & hosti fuit , qui quamvis rarer esset in jaciendo igne , lapidibus tamen vibrandis fuit continuus : Curabant eâ die in propugnaculo Löbeliano , quod infestabatur præ cæteris , alijsq; vicinis in locis Comites Daunius , Sereni , Souchius , Scherfenbergius , Baro de Beck , & Princeps Würtenbergicus ; supervenit & Generalis ipse : statuuntq; ut inde adornaretur eruptio , cuius operâ labores hostium , quos subtus in fossa propugnaculi contra muros ejus promovebant instanter ; exæquarent solo : desertur hæc Provincia horâ quartâ pomeridianâ tribus viris egregijs Capitaneis , Christiano Trauers , & Joanni Henneman è Souchianâ , & Capitaneo tenenti Simoni è Beckianâ legio-

ne, quibus tunc istic statio fuerat. His per cryptas subterraneas e-rumpentibus cum suis, instat cum Würtenbergico Principe Comes Sereni ad pedem cavernæ, per quam priores exierant.

Discussâ caligine, cum animadverteret Princeps haud adhuc nostros vacare periculo, Sereni Comitem orat, ut mittat supprias. Is centum viros decernit; horum Ductor esse gestit ipse Princeps: Sereni excusat, haud esse ejuscemodi expeditionem pro Tribuno, sisteret Princeps, demandaretq: Provinciam Capitaneo: Quia autem omnino & absolute sic ambibat Princeps, dedit ipsum Comes Sereni in manus Consilij sui. Inde Princeps spiritu planè principali in hostem irruens sublevat fessos, & pugnam instaurat: dumq; sub eodem tempore alibi in vicinia Comes Souchius alias eruptionem adornat, Turcæ ab omni demum parte metuentes sibi, salutem suam in pedibus ponunt. Quibus insistens Princeps, in ob-sidionales extra spondam vias eos est persecutus usque ad proximum spondæ suggestum (28.) cui tria stabant tormenta superimpo-sita, qualia stylis ferreis per spiramenta adactis configere (a) facile potuissent, si styli fuissent ad manum; quorum defectu cum se ite-rum condensare inciperent Turcæ, nostri se inde deorsim in ima fos-sæ recipiunt, continuatis semper in insequentes displosionibus sclo-petorum. Desiderati sunt eà pugnâ ex nostris viri gregarij plus minus ducenti; ex officialibus ceciderunt Capitaneus Kayserste-nianæ legionis Joannes Georgius Scablitsky Baro de Sauditz, & è Neoburgica legione Capitaneus, Joannes Adrianus Baro de Velt-brugg: Capitaneus quoq; tormentariæ rei Maximilianus à Weid-ling hodie globo tormenti iictus occubuit, at supernè in propugna-culo: neque hac eruptionis horâ, sed post meridiem. Inter sau-ciatos ipse Princeps Würtenbergicus fuit, per dexteram tibiam in-fra coxendicem sagittâ trajectus: nec nisi aliquot postea septimanis graves dolores molestiasq; pércessus convaluit.

Hæc inter sub Revelino toties quassato, toties luxato iterum de-prehendere nostri cuniculum hostilem, quem detexit Hafnerus: hinc nullus nobis inde metus.

Vigesimâ sextâ iterum sub luxatis Revelini lateribus cuniculo succenso hostis assiliit, sed masculâ nostrorum virtute retusus est deinceps per eam diem continuans pyrobolorum, & lapidum è mor-tarijs

(a) Vernagelen.

carijs evibrationes frequenti nostrorum damno : donec sub horam nonam vespertinam repetitâ novi cuniculi ad eadem Revelini latera succensione iterum assiliret, iterum à nostris cum multa suorum cæde rejectus ; nisi quòd tormenti hostilis in propugnaculum palatium exonerati globus quinq; istic viris capita uno eodemque iictu demessuit. Primâ post prandium horâ visi sunt Turcæ magno numero Camelos onustos ex castris Posonium versùs multis nebulo-num turmis comitantibus catervatim abigere. Conjectamus opimas à Christianis eruptas eorum prædas sic præmitti , ut hæ saltem ipsi, quicunq; se forte succursu nostro veniente casus sit daturus, sal-va permaneant.

Vigesimâ septimâ Augusti , postquam benè manè pro more suo nos ferociter salutasset hostis, à tormentorum explosionibus deindè requievit, continuatâ nihilominùs lapidum assiduâ è mortarijs evi-bratione. Horâ septimâ deindè cum sclopetarij nostri numero plus minus trecenti, queis triginta Dupegnianæ legionis Equites erant immixti per subterraneas cæcasque cryptas erumperent in fossarum propugnaculi palatini ima ; vidimus, quantâ alacritate mox illi rem agentes opera hostis , quantumcunque resistentis, solo æquaverint , tanto spatio , quanto resarciendo tres minimum dies de novo Turcæ cogentur impendere. Velitatio autem acris fuit & cruenta , quâ & insignis Turcarum aliquis , & non de promiscuo grege Vir cæsus interiit , pro cuius cadavere eximendo integrum horam cruentè pugnarunt : à nostra parte desideratus præ cæteris est Benedictus Baro Spindlerus , legionis Souchianæ Signifer , qui sclopeti iictu sauciatus , alterâ mox die extinctus est , filius Joannis Ignatij Spindleri Baronis, Regiminis Austriae Inferioris Consiliarij.

Horâ quintâ vespertinâ binos iterum cuniculos hostis succen-dit, alterum in sinistro toties luxati Revelini latere , alterum è spon-da palatinum propugnaculum versùs. Ad fragorem primi statim assiliit hostis , statim masculâ nostrorum virtute repulsus , quam Scherfenbergius Comes noto suo dexteritatis exemplo istic ex-a-cuit. In altero vix quidpiam præstítit ; Unus tamen aut alter est læsus , atque in obsidionales eorum vias foras attractus , multis ex hostibus cruentatis.

Hodie item in Urbe, alter è Beckiana legione , ex Urbis præsi-dio alter , qui nuper à transfugio erant retracti , in foro Urbis novo

sunt suspensi patibulo: Capiteque plexus adolescens, qui cum hoste fuerat communicasse deprehensus, applaudentibus miro gaudio inspectantibus incolis bene meritam sumi de fontibus vindicta. Vix sunt etiam aliquot equitum nostrorum turmæ explorantium trans pontes Danubij litora, si forte incendiarios iterum istic daretur reperire. Denique faculas sub noctem missili igne fartas iterum plus minus quadraginta è medio turris S. Stephani Generalis Stharenbergij dispositione succensas evibravit Kielmanseggius Baro, signum Duci, ubique fuerit, succursum à nobis citius expectari.

Vigesimā octavā Augusti mane, alta utrumque quies; quod cælum tonitruis horridum ranas juberet tacere. Vix tempestas remiserat, cum quartam inter & quintam hostis cuniculum ad dexteram quassati Revelini latus succedit, & Revelinum impetij; tormentis nostris mixto fermentorum lapidumque tomento fartis, constanteq; sclopétariorum nostrorum explosione retusus: quamvis eodem pomeridiano tempore sub propugnaculo palatino se se fossæ immerserit hostis trabibus superne tectus, unde in laxandis per noctem obsidionalium viartum per ima fossæ spatijs promptior tantò & tanto tutior. Sicque defuncti sumus eo periculo, quod hodie à Turcis nobis instare transfuga nuper vaticido ore hallucinatus prædixerat. Vespertino huius diei crepusculo cælum inumbrente, iterum gyrandulas (*a*) in altum vibravit Kielmanseggius Baro, signum Duci petentium accelerari succursum.

Vigesimā nonā Augusti parcior fuit in explodendis tormentis hostis, at in igne ac lapidibus è mortarijs excutiendis constanter liberalis. Nonam tamen inter & decimam matutinam succedit cuniculum sub Revelini residuis, queis ultimum vale dedit: ita enim egestum, ruptum, quassatum, luxatumque est tot cuniculorum continuâ succensione Revelini circumferentia, ut vix firmo istic pede stare amplius possint sive hostes ad pugnandum, sive ad arcendum nostri: remansit tamen adhuc loculus nobis palis septus, cui adhuc ultimus hic Turcarum conatus pepercit in medio: Et hunc quoque, quamvis circum jamcunque ab hoste obfessi, constanter insident nostri, nec stationem deserent, nisi à Stharenbergio jussi, quod proximis diebus factum intelligemus.

Planatis ergo sic paulatim omnibus, quæ in Revelinum Tureis faci-

(a) Raggetten.

facilitabant ascensum, ipsis de descensu ex eminentioris fossæ sponda fuit cura; quem etiam ut laxiorem pararent, horâ meridianâ succendunt cuniculum, qui egestâ desuper terræ mole cavernas eorum subterraneas testudinesque (gallerias) ita diffidit, ut quadragenarij numero, & quinquagenarij etiam illac jam possint tuti in fossarum ima descendere. Nec tamen adhuc ausi sunt supremam manum adeò fœdum lacerato huic admoveare Revelino: cuniculum novum, sed minorem effodiunt, eumq; succendunt die altera, quæ erat penultima mensis.

Trigesima nempe Augusti: Èa enim erupit suppositi ignis effusus in postrema & extima Revelini sponda, quæ Löbelianum spectat, tentavitq; hostis assaltum, quem fortiter sustinuere nostri, quantumvis exiguum adhuc esset in Revelino spatiolum, quo hosti, à quo septi sunt, possent resistere.

Dumque hæc in alto super Revelino sunt, infra in fossarum imis continuo laxant & promovent fodiendo vias, queis ad muros, & valla propugnaculorum Palatini, & Löbeliani approximant. Cresselius rei tormentariæ Præfectus interim hac die tormenti globo trajectus occubuit, de quo supra: Et Henricus Fridericus Baro de Kielmansegg hodie in conspectu Generalis nostri probavit pyrobolos manuales, non ex metallo, non ferro, non vitro denso, uti alias, sed ex argilla, figuli manu tornatos: qui immixtis quibusdam alijs materijs, non propalandis, in ferri soliditatem indurati, igneç; succensi eundem ad minus præbent effectum, quem vitrei. Nova sagacis hujus & industrij viri adinventio, quæ in casu, quo diutius continuata obsidione, ejus generis arma defecissent in Urbe, usui fuisset ventura.. Sed & pulverarium Molendinum recenter machinatus sub vallorum concameratis fornicibus est hic idern Baro, quale ante nunquam fuerat: quo laboratum & pulvis præparatus, & factus est quotidie, bobus ventum, att aquam supplentibus.

Multam sanè præstitit hic Kielmanseggius operam hisce temporibus, quæ laudem profecto & præmium promerentur: donec morbo dissenteriæ correptus, & febri superveniente deplorato par, adinventionibus suis atq; laboribus abstinere coactus, Cognato suo Carolo Ferdinando Baroni Udalrici de Schwartzenau, Subtribuni titulo insigni, provinciam eam vicariâ ope exornandam committeret: quam & ille sedulus accuravit ad finem, postquam mili-

tari alias munere vacans , Stharenbergio Generali obsidionis principio ad præstanta obsequia semper adstitisset promptus. Pyroboüs item major è castris excussus hodie decidit in pulverem nitratum , onerandis super propugnaculo palatino tormentis depositum, diffiliensq; in frusta , aliquot manuales pyrobolos juxta succedit, quorum fragmentis tres nostrorum disrupti sunt , & septem læsi.

Trigesimā primā Augusti visi sunt Cameli onusti , currus & quadrigæ cum tormentis aliquot ex hostium castris abire in Viennensem saltum, unde & pomeridiano tempore displosiones auditæ sunt : nos conjectabamus fore rorarios (a) succursus nostri paulatim inde apopinquantis , queis se opposituri sint Turcæ. Horis pomeridianis duo iterum succenduntur ab hoste cuniculi , unus in lacerato tanto-pere Revelino , alter in sponda palatinum versùs , quibus aliud quæsitum est nihil , nisi ut viarum utrobiq; spatia laxarentur , per quæ ad muros propugnaculorum illis facilior aditus pateat , ad suffodiendos etiam istic cuniculos , uti constanter fieri animadvertisit.

September.

Prima Septembbris dies fuit parca globorum , ast non lapidum , horum enim copiam injecit hostis in stationes nostrorum , intereaq; vias suas ad propugnaculorum muros improbissimā laboratione promovit. Hanc ut interturbaremus , erupimus in ima fossæ propugnaculi palatini , ejectisque inde Turcis institimus supernè ad usque spondam , & in obsidionales eorum ante Urbem & Urbis valla vias processimus , duo in suggestu fossis nostris vicino tormenta transactis per spiramenta eorum ferreis stylis configentes : sed quòd condatus ejuscemodi actus tempus & moram postularet , factum est , ut interea hostis è postremis obsidionalium suarum meatus collectus glomeratim redux , in nostros instauraret pugnam , quâ vivere desierunt Turcarum multi , nostrorum læsi aut cæsi plus minus centum.

Sub nocte succensæ sunt iterum è Sancti Stephani turre gyrandulae (b) ut in altum evibratae docerent Ducem , quām necessarius sit Urbi succursus , quem suspiramus.

Jam enim constabat , hostem cuniculis proximā nocte tentatum ipsum Palatij propugnaculum , promovisseque similiter per foscarum

(a) Vortroppen. (b) Raggetten.

sarum ima vias suas trabibus semper tectas ad Löbelianum usque
& loricam eam, quæ est ambobus intermedia (17.)

Secunda dies Septembris reddidit nobis horâ quintâ matutinâ Razium, quem nuper iteratò miseramus ad Ducem: qui eâdem die horâ secundâ pomeridianâ cum literis remissus ad Ducem est, queis succursus petitur accelerari. Nam jam tum eodem mane cuniculum hostis succenderat, in radice ad lœvam propugnaculi palatini, declinato ejus rostro quod ignis tuebatur, effossum horizonti fossæ æqualem, eo effectu, ut quadrati lapides aliquot (qualibus continuatâ serie tota per ima sui, quadruplici linea innitebatur moles) eâ vi pulveris exempti ruinam ulterius minarentur, saltem rimam aperirent Turcis, quâ jam deinceps in viscera propugnaculi ses talparum & Suum more ingerere, productâque longius cuniculi scis- surâ majus mox damnum integræ structuræ dare possent. Interea super eodem fortalitio strenue laboranti Geschwindio Subtribuno tormentariæ rei, excussi è mortario hostili petræ & lapides luxarunt humeros & brachia, quæ balteo deinceps suspensa circumtulit usque ad salvationis diem.

In tam continua viarum suarum per ima fossarum ad latera utriusque propugnaculi factâ extensione rationabiliter jam timebatur medio utrius pridem agonizanti Revelino: (9.) cui tamen, eiisque quod istic adhuc superat fatiscenti spatiolo curando immisus (cujus vices erant) Capitaneus Stharenbergicæ legionis Heistermannus est cum mandato, ut si importunè instaret hostis, omissa statione cum socijs suis noctis se obscuritate atque silentio modestè ad tutiora reciperet: Is cum viris socijs quinquaginta, cùm statio nem insedisset semel, noluit inde recedere, quantumvis hostis sœvieret atrociter, repugnalaque ante se lignea, quibus solis & unicis separabantur, admoto igne cremaret; quorum ignes viri ejus socij magnâ virtute ac animis, Capitanei sui exemplo incitati, sopire, sclopetisque hostem omni niſu arcere contenterunt. Viginti omnino ex his quinquaginta sunt ab hoste trajecti: quos inter Locum tenens, N. Sommervogel dictus, & Instructor Centuriæ, cuius nomen nos latet. Capitaneus ipse cum duos è Turcis prostravisset, cum reliquis triginta stetit, eâ nocte incolmis usque ad diem.

Septembris tertiam. Eâ die, cùm horâ secundâ pomeridianâ

pro

pro more vocaretur è statione , superveniente alio cum recenti vi-
rorum turma vices ejus acturo (Müller o nomen erat viro) cum
hunc informare de rei istic & loci statu vellet, illeque sibi jam nota
omnia esse responderet , informantemque ceu juniores se annis
fastidiret , alterà mox post aditam stationem horà telo hostili fossus
occubuit. Capitaneo læso , cum jam sciret Generalis frustra istic
ultra curari , ubi nulla deinceps cura desperatissimè agonizanti Re-
velino utilem posset præbere amplius medicinam ; jussit , stationem
accensis per ima fossæ structis à Revelino utrimque ad propugna-
cula receptaculis deserí , alibiique curari , ubi majus sit futurum ope-
ræ pretium : quod nocte illa concubia plurimorum votis est factum :
indeque jam Turcæ ab hodierno priùs , id est tertio Septembris die
Revelini istius , tanto suorum sanguine , tanto labore & sumptu tot
septimanis impenso possessione potiti sunt.

Hoc tamen adhuc dignum notatu est. Dum ita dies & noctes
suffodiunt Revelini resiliuam Turcæ terram , & nostri supernè fo-
diendo contra nituntur, accidit , ut in puncto quasi demum concur-
rerent partium utrimque fodientium palæ & harpagones , quibus
exsecta tellus , dabat Turcis nostros suspicere , contra nostris despici-
cere Turcas , aperto fortè fortuna utrobique hiatu : per quem di-
gladiati invicem cum nec Turcæ auderent eluctari eximo , nec no-
stri ex alto ambirent delabi ; intra mediocritatis terminos dimica-
tio substituit , quam nox propediem secuta dirēmit.

Gyrandulas (a) denuò sub noctem vibravit Kielmanseggius Ba-
ro signum Duci , præcordia nobis palpari , veniret exspectatissimus
cum sospitatoribus nostris.

Quartus Septembris dies tormentorum explosionibus fuit tem-
pore matutino tranquillus : nisi quòd pyrobolorum lapidumque
ejectione fuerit aliquanto morosior nostro incommodo. Erat autem
Cælum haud fidum , nam pluerat manè : at , vix cessaverat nym-
bus , cum ecce , horà pomeridianâ secundâ cuniculum succedit ho-
stis sub sinistro fortalitij palatini latere (declinato iterum rostro)
tantâ vi & fragore , ut media pars Urbis concussa contremeret , im-
mani inde murorum & mœnium propugnaculi subversâ parte qui-
nas ad minus orgyas exæquante ; quam mox ferociter cum barbaro
halalatu assilientes barbari totam momento Civitatem conturbant:
sed à nostris rem istic curantibus & dimicantibus , objectis ad lacunæ

(a) Raggeten.

fau-

fauces subito vasis ac trabibus saccisque arenâ ac humo fartis post
sesqui horariam cruentamque sanè pugnam viriliter & feliciter sunt
rejecti cæsis utrobiique bene multis: benignior tamen fuit Christianis
norum strages, quam barbarorum.

Horrendum reboarunt utrimque tormentorum mortarium
rumque tonitrua & sclopotorum fulgura immane quantum mica-
bant: videbanturq; milleni ex Turcis à summo spondæ per laxatas
testudinum cryptarumq; subterraneanarum fauces (a) in fossæ ima se
singulatim dimittere, ijsque citatissimo cursu emensis in voraginem
propugnaculi istâ succensione excussam se continuatis effosionibus
totos immergere ad instar suum, ut extensis ita ruinæ sinubus plu-
res istic & plures sub egesta humo delitescentes posteris inde die-
bus faciliores sibi ad debellanda cætera pararent progressus. Sed
cavit Dei bonitas, & militum Christianorum alacritas, ut ne pedem
istic figere ultra possent, sed exacti cavernis, novas hæ stationes
superne deserere, & in prius exsectum propugnaculi antrum se ab-
dere cogerentur: plurimi sanè hostium è velitatione sunt cæsi, nec
è nostris pauci. Capitaneus Stharenbergicæ legionis Blumentha-
lius Baro læsus sclopeti iætu per clunes, indeque asportatus, post
tempus convaluit. Enituit hic iterum heroica Sereni & Scherfen-
bergij Comitum virtus, quam laudare satis Lector vix poteris.

Horâ nonâ vespertinâ rursus gyrandulæ sunt è turri S. Stephani evibratæ, signum Duci, non esse diutiùs cum succursu tardan-
dum: Jam enim corripi Urbis præcordia. Postque hoc signum horâ
noctis secundâ Georgius Mihalowiz, qui olim Residentis ad Otto-
manicam Portam Cæsarei, Joannis Baptiste Casa nova cubicu-
larius fuit, linguæ Turcicæ apprimè gnarus, emissus ex Urbe ad Du-
cem est cum literis significantibus idem periculum nobis im-
pendens.

Quinta dies Septembribus nihil nobis exterius nisi ingentes glo-
bos è novis tormentis majoribus, qualia nunquam haçenus hostis
exoneraverat, excusso dedit in propugnaculorum ægrotantium mu-
ros & mœnia, dum interim caveas suas hostis in Revelino, & per
fossalrum ima præter loricam sive cortinam istic medium improbo
sanè labore tectus toto die continuat, & cuniculos agere jam sub
ipsis cortinæ seu loricæ muris advertitur. (17.) Vergente autem ad

occasum die, horâ sextâ, magnâ contentione conatus est per lacunam in palatino propugnaculo recens excussam penetrare in stationem desertam: sed jam factis per infixos interim egestâ terræ palos ac sudes novis repagulis frustra fuit omnis conatus: nam vigore nostrorum post repagula securius rem curantium, falcesq; harpagones & oblongos fustes supernè capitatos, ferreisq; cuspidibus in stellæ formam (a) præmunitos, aliaq; id genus instrumenta mortis in barbarorum capita impingentium fortiter ac viriliter, iterato cum multa suorum cæde repulsus est.

Sextâ die Septembris evénit nobis quod pridem metuendo prævidimus, & timuimus prævidendo: nam sub horam primam pomeridianam præparatos aliquot dierum tecto labore cuniculos sub Löbeliano propugnaculo hostis succedit, quâ succensione longa & ingens muri, crassitie viginti quatuor pedes superantis, ab imo ad supremum verticem è petra & lateritio lapide solidi moles, ita est diruta, & ad fundamenta usq; eversa latitudine sex orgyarum hac vice; ut propugnatores starent aperti; pectoribus nudis excipientes assultum, quem ferociter hostis tentavit; at mox remisit: quod ascensus immanibus murorum hinc & hinc exsectorum adhuc cohærentibus cubis (b) impeditus, ultra unionem ex assilientibus vix admitteret: unde condensare impetu suos in alto impossibile Turcis; fine eo autem conatus omnis frustraneus fuit; & assiduus tormentorum nostrorum & sclopetorum ignitus imber lethalis. Unde tunc quidem se recipientes sequenti statim nocte instaurato labore fossas ultra effodiunt: nos autem gyrandulis evibratis in altum iterum docuimus DuceM(prout & per Georgium Mihalovitschium significaveramus pridie) jam tangi Urbis medullam, opus esse succursu. Nec tamen feriati sumus eâ nocte & nos: nam novos continuò meatus supernè effodimus, sudesq; & palos infiximus, terrâ congestiā firmavimus & tuta imposterum propugnaturis repagula (c) quaquaversum confecimus. Suggestusq; novos, ubi opus id esse sagacitas & prudentia Generalis exegit, exstruximus. In propugnaculo imprimis hispanico, (30.) quod intrinsecus magis post palatinum propugnaculum situm est ad palatij spondam, item super cortina, (17.) quæ ante æstivarum istic curiæ novæ in altum educta

(a) Morgensternen. (b) An einander liebende grosse Stücke der Mauren. (c) Abschnitt.

Et a est, vulgo das Paradeisi Gartl / ut ubicunq; imposterum aleam tentaturus sit hostis, istic de propulsione, quantum fieri humanitus potest, sit cautum. Et hæc quidem omnia intus in Civitate: à foris in vertice Cœsij Montis (E.) gyrandulas vidimus numero quinas hac nocte, signum nobis, ut speramus, optatum appropinquare succursum: cui & nos alia quoq; ejusdem sortis signa rependimus, credimusq; id ipsum quoque intellectum à barbaris esse. Quorum Supremus Vezirius posterā die, quæ fuit

Septima Septembris, exercitum suum ipse lustravit in Castris: idque nos scimus ex Authographis Turcarum Catalogis, quos eorum linguâ, charactere & chartâ per totum conscriptos post eliberationem nostram, & hostium fugam juxta Vezirij ipsius, Cancellarijq; ejus, (Reiß/ Efendi Turcarum vocabulo dicti) tentoria diffusim sparsos collegerunt illi, quos in hunc finem miserat Neostadiensis Episcopus Comes à Kollonitsch: è cujus manibus eos acceptos, & abs Interpretibus Cæsareis explicatos nos hic eo ordine, quo dati sunt nobis, adnectimus.

Catalogus sive Lista

Bassarum & copiarum, quæ lustratione coram Venerabili Primo Vezirio in castris ante Viennam factâ, decimo octavo die nobilis mensis Ramesan, id est, septimo Septembris die, Anni 1683. institutæ sunt numeratae & scriptæ.

1. Imprimis Venerabilis Supremus Vezirius ipse, Kara Mustapha Bassa dictus, cum Janitseris & aula sua, virorum - - - 6000.
2. Kara Mehemet, Bassa Mesopotamiæ & Vezirius - - - 5000.
Nota: Kara idem est quod niger. Vezirij dicuntur, qui præter munus militare, quod obeunt, etiam simul sunt Confiliarij, ut nos vocamus, Statūs.
3. Chydir, Bassa Bosnensis, qui olim, ut supra jam narravimus, Praefectus supremus fuit Aulæ regnantis Sultanæ; hic commendavit in Insulâ Leopoldopolitanâ, habebatq; sub se viros Ægyptios - - - - - 6000.
4. Ibrahim, Bassa Budensis & Vezirius, quem Supremus Vezirius, deinde post eliberationem nostram, infra Jaurinum fecit decollari: Is viros adhuc in armilustrio hodie ante Viennam habuit sub se - - - - - 5000.

5.	Hussein Bassa, de quo supra in Diario, Damascenus	- - - - -	3000.
6.	Hassan, Bassa Temisvariensis	- - - - -	1000.
7.	Mustapha, Bassa Silistriensis	- - - - -	1500.
8.	Scheich Ogli Achmet, Bassa Magnesiensis	- - - - -	1000.

Nota: dictus hic ab Urbe Magnesia Civitate Natolia, quam Turcae Manissam vocant.

9.	Hogiaogly, id est, filius Praeceptoris Belgerbegus Romeliae, seu Sophiae	- - - - -	6000.
----	--	-----------	-------

Nota: Belgerbegi vocantur, qui talibus Provinciis imperant, in quibus alios Bassas sub se habent: hinc vocantur Principum Principes.

10.	Beckir, Bassa Aleppensis	- - - - -	1000.
-----	--------------------------	-----------	-------

11.	Achmet, Bassa Natoliae	- - - - -	1000.
-----	------------------------	-----------	-------

12.	Harmos, Bassa Mentechesiensis	- - - - -	500.
-----	-------------------------------	-----------	------

13.	Achmet, Bassa de Tyra	- - - - -	600.
-----	-----------------------	-----------	------

14.	Hassan, Bassa de Harmit	- - - - -	500.
-----	-------------------------	-----------	------

15.	Halyl, Bassa Sebastensis, Turcae Sivas vocant.	- - - - -	1000.
-----	--	-----------	-------

16.	Alij, Bassa Ancyrensis	- - - - -	500.
-----	------------------------	-----------	------

17.	Alij, Bassa Teckensis	- - - - -	500.
-----	-----------------------	-----------	------

18.	Achmet, Bassa Marasensis	- - - - -	1000.
-----	--------------------------	-----------	-------

19.	Alij, Bassa Caramaniensis	- - - - -	1000.
-----	---------------------------	-----------	-------

20.	Mustaffa, Bassa Ersekoviensis (Civitas in Bosnia)	- - - - -	500.
-----	---	-----------	------

Nota: hic fuit olim à Budensi Vezirio Ibrahim Bassa hoc Viennam pro Legato missus, amicus Ibrahimii. qui unà cum Ibrahimō nunc truncatus est.

21.	Hussein, Bassa Bolicensis, de quo in Diario	- - - - -	600.
-----	---	-----------	------

22.	Emir, Bassa Adanensis	- - - - -	500.
-----	-----------------------	-----------	------

23.	Aslan, Bassa Nicopoliensis	- - - - -	1000.
-----	----------------------------	-----------	-------

24.	Hassan, Bassa de Nigka	- - - - -	500.
-----	------------------------	-----------	------

25.	Alij, Bassa de Brussa	- - - - -	300.
-----	-----------------------	-----------	------

26.	Hassan, Bassa Chermenus	- - - - -	300.
-----	-------------------------	-----------	------

27.	Jurigi, Bassa Agriensis	- - - - -	600.
-----	-------------------------	-----------	------

Nota: Hic cognomento dictus est Chiör, id est monoculus, estq; ad pontes Viennenses in dimicatione, quam Schulzius die decimā quintā Iulij habuit, occisus.

28.	Omer, Bassa Karahysarensis	- - - - -	1000.
-----	----------------------------	-----------	-------

Nota: Turcice Karahysar, ac si dicas, de nigro Castro.

29.	Osman Ogli, Bassa Chiutahiensis	- - - - -	1000.
-----	---------------------------------	-----------	-------

30.	Ibrahim, Bassa Varadiensis	- - - - -	600.
-----	----------------------------	-----------	------

31. Mu-

31.	Mustapha, Aga, sive Generalis Janitserorum	16000.
32.	Osman, Aga Spahiorum, nempe prætorianorum	12000.
<i>NB. Spahi dicuntur Equites.</i>		
33.	Dilly, Aga feudatariorum sive Vasallorum	5000.
34.	N. Aga Voluntariorum	5000.
35.	Topschy Bassi, id est, Generalis tormentariæ rei Præfectus, sub se adhuc habens viros	1500.
36.	Gebegi Bassi, id est, Caput, seu Generalis eorum, qui annonæ & armamentarij curam gerunt.	4000.
37.	Milites grandis Kairi.	3500.
38.	Cuniculatorij laboratores stipendiati.	5000.

Nota: hi sunt, quos pro cuniculis parandis mittunt Provinciae.

39.	Eorum, qui non quidem stipendiati sunt Sultani milites, sed aliorum famuli apti in necessitate tractare arma.	20000.
40.	Tartarorum Hanus.	20000.
41.	Teöckeölius cum Hungaris.	15000.

Nota: hoc est mendacium Turcici scriptoris decipere volentis Vezirium & nos. Nam Teökeölius non fuit nisi semel visitandi Vezirij gratia in castris obsidionalibus. Ungaros tamen addidit plus minus mille, qui nomen Hungarorum contra Regem suum una cum Turcis militantium sustinerent. His mixti fuerunt Battianus, Draskovitschius, Nadastij bini fratres, alyq. +

42.	Michaël Abaffi Princeps Transsilvaniae.	6000.
-----	---	-------

Nota: hic sepius citatus olim ad portam nunquam comparuit, excusans se varijs praetextibus semper: à Vezirio autem nunc vicinore facto invitatus ad castra, venit ad usq; Jaurini (a) Confinia: unde parvo comitatu stipatus excurrit Viennam ad castra Vezirij; a quo dum benignè exceptus esset, mox dimissus est retrò, ut cum suis Arabonem majorem inter & minorem curaret pontes, (b) quos istic nuper excitaverant Turci, ut forte fugitiis paterent ad salutem.

43.	Syrvan alias Servanus Canthacuzenus Waywoda Valachensis.	4000.
-----	--	-------

44.	Duca, Waywoda Moldavie.	2000.
-----	-------------------------	-------

Nota: hic Turcæ Waywodas appellant, quos nos Principes, quorum primus Servanus, ante Urbem obsidionis tempore, Crucem ingentis è quercu molis fabricatam defodit in terram haud procul à situ, in quo tentorium suum tetenderat: habebat autem inter ceteros captivos Christianos unum Joannem Augustinum à Stroßwasser, Comitus Questenbergij Regentem, ut vocant: hunc paucis ante eliberatione

nem nostram diebus, receptis in lytrum ducatis quinquaginta libertati restituit; iussum; accederet Viennam redux, Episcopum; indicaretq; de hac cruce, quæ in captivitate sua vidisset; rogandum suo nomine, ut erigi jubeat in sui memoriam, eo, quo tentorium stetisset loco, à populo in futurum colendam. Sed quod jam ante adventum hujus Viri per famulam istac lignatum euentem casu detecta crux, & indicata Reverendissimo Cathedrali ad S. Stephanum Præposito & Generali in Sacris Vicario, Domino Joanni Baptista Mayero esset, is hanc crucem in Urbem ad palatium Episcopale deduci curaverat prius, quam de hoc Servani Valachia Principis desiderio fuisset edoctus. Videtur itaq; crux illa quotidie in Episcopali palatio longa pedes septendecim cum inscriptione latinâ ipsi ligno insculpta, qua est talis.

Crucis exaltatio est conservatio Mundi; Crux decor Ecclesiæ, Crux custodia Regum, Crux confirmatio fidelium, Crux gloria Angelorum, & vulnus dæmonum.

Nos D E I gratia Servanus Scantha Curzenus Valachiæ Transalpinæ Princeps, ejusdemque perpetuus Hæres ac Dominus, &c. Erexitus Crucem hanc in loco quavis die devotione Populi, & sacro honorato in perpetuam sui, suorumque memoriam tempore obsidionis Machametanæ à Vezirio Karà Mustaffa Bassà Viennensis Inferioris Austriæ Mense Septembri die prima Anno 1683.

Viator memento mori.

Sed jam seriem armilustrij continuemus, quo censa sunt eos, qui in castris Turcicis ad eam diem mansere superstites capita 168000.

Nota autem Lector, hunc numerum esse fictum ad illudendum Vezirio, quem passim exercitus omnis fuit exosus ob arrogantem hominis tyrannidem, que nos dauerunt viri, Turciam multis annis inhabitantes, & negotia aulae nostræ tractantes. Falsum esse Catalogum, vel hoc solum docet, quod Teöckelium inter ceteros censem interfuisse castris illis ante Viennam cum quindecim millibus Hungarorum, cum tamen sit certum, à Teöckelio hic nunquam nisi ad summum mille viros esse submissos, cum ceteris

ceteris indigeret ipse in castris suis ad Vagum annem, ubi iteratio fuit à Duce Lotharingiae profligatus: ita nimiriū angere bellatorum numerum Vezirio satererant, ut stare contra succursum nostrum resolveret, quem jam appropinquare didicerat: deserendus deinde à Comilitonibus suis, uti jam pridem in odium viri statuerant. Credendum autem eò magis est alteri Catalogo non minus autographo, cui inscriptus est numerus eorum, qui obsidionis tempore ad hunc usq; diem, aut laeti aut caesi, captivi, aut ex morbis deleti sunt Lector, quos ita nobis signatos invenimus.

Catalogus eorum, qui ex nostris (subintellige Turcis) mortui sunt ab obsidione Viennensi usque ad septimam Septembres diem.

Bassæ 3. Ciorbagi, id est nostro more, Janitserorum Tribuni 16. Capitanei militum grandis Kairi 25. Officiales feudatariorum 500, Janitseri 10000. Laboratores in obsidionalibus vijs 16000. Spahi E. quites 12000. Tormentariae rei Officiales, Ministri & Opifices 6000. Tartari 2000. Feudatarij communes 2000.

Summa - 48544.

Nec tantâ nos fiduciâ hic talia adnotaremus, nisi ex authographis, uti scripsimus, Turcicis, quæ Neostadiensis Episcopus tertiam ab cliberatione nostrâ hebdomade priùs in castris haud procul papilione Vezirij reperta nobis communicavit, vera & ita peracta esse dicissemus.

Sed dum hæc omnia foris fiunt in castris, ad Urbis & Revelini jam debellata fossas hostis indesinenter laborat effodiendis cuniculis: submjssis, qui lustrationem obierant, ijs, qui adhuc erant lustrandi: nam omnes recepto Turcis more bini & bini supremo Vezirio se sistere, non manipulatim transgredi debent. Sub noctem ejus diei gyrandulæ è Sancto Stephano exsurgentes in altum, orarunt Ducem, ut ocyus periculis nostris subveniat.

Octavâ Septembres minus tormentis nos hostis impetijt, pyroborum & lapidum evibrationibus totâ eâ die constans: promovitq; labores suos Löbeliano sub propugnaculo, ut horâ secundâ pomeridianâ cuniculos subtus paratos succenderit, quo nova muri moles elisa subsidit in fossam, sed nondum ad assiliendum sat perviam & accomodam: assilierunt tamen ferociter, & magno numero repetitis vici bus; utrisq; autem à nostris viriliter propulsantibus, assiduaq; tormentorum, globis ferro petris alioq; id genus tomento fartorum

(4) exor

(a) exonerationibus sunt rejecti. Occidit hāc cruentā pugnā præter gregarios, & minores Officiales multos Subtribunus Dupegnianæ legionis equestris. Crois Chevalier Gournee dictus. alij autem plures sunt læsi. Horā decimā matutinā nos in contracuniculo, quem vocant, (b) à nobis effosso pyloclastrum (c) applicuimus; eā spe fore, ut illud succensum discusso terræ obice viam in cuniculum hostis istic præparatum aperiret; sed spes ea nos delusit. Horis pomeridianis animadversus est in hostium castris ingens motus & alteratio commeantium, & equitantum huc illuc confusè, passimq; per castra insternentium equos & Camelos onerantium, credebamusq; de Succursu nostro adventante hosti jam plus, quam nobis, constare debere, qui hos inter ipsos conciliaverit motus: interim tamen cuniculorum suorum labores non omittunt perficere, ac si à foris nihil timerent. Nec omisit Generalis Comes à Stharenberg econtra curare sedulo, quæ exstremis novis per valla repagulis, excisisq; per propugnacula ruinis reficiendis confirmandisq; servirent; infernè etiam post propugnaculorum valla vias in Urbem tendentes, & domos ferreis catenis fecit muniri tegique, ut omni, quicunq; se datur sit, casti illaturo damnum hosti robustius possit resisti.

Sub noctem gyrandulæ iterum è turre Sancti Stephani emissæ pro nobis interpellarunt Duce...

Hostis autem frequentissimis tormentorum ictibus ignis & lapidum è mortarijs euibrationibus ferocius solito in Urbem detinuit: Horā decimā matutinā Turca captivus introductus in Urbem est, referens ingentem esse in Turcarum castris consternationem ob succursum Christianorum, qui fiat vicinus post montes (E.) sub meridiē autem visa est magna exercitus Turcici pars ad radices saltus & montis Cæsij jam tum stare in armis, quam sequi videbamus innumeratas turmas depositis plicatisq; tentorijs: ductis etiam secum camelis, curribusq; onustis pabulo & utensilibus sarcinis, tanquam alio domicilium suum translaturas, quod factum est. Nam castra metati ad eosdem saltus & montium radices istic iterum papilionibus explicatis confedere, ut descensuro fortassis istac succursui eminus magis abs Urbe reprimendo viciniores sint. Non obstibus his, nihilominus promovent labores suos in fossis, & eā nocte nostrâ

(a) Kartatschen. (b) Contra-Minen. (c) Petarde.

nostrâ nos lineâ communicationis vi & foco exutos multâ suorum cæde exturbat & occupat, promovetque cuniculos novem, quos sub lorica propugnaculis media (17.) jam ante parare occuperat.

Decimâ Septembbris promovere pergit hostis cuniculos sub densatis contra Urbem explosionibus tormentorum. Horâ undecimâ noctis cuniculum succedit sub propugnaculo palatino (7.) loco priori ruinæ vicino, quo hac quidem vice singulare aliud nihil effectum est, quam quod laxaverit spatia ad tentanda istic deinceps majora & periculosiora pro nobis. In ducendis sub cortina sive Ioricâ (31.) cuniculis impeditus est repetitis dejectionibus pyroborum ingentium quingentiarum librarum in fossam (quos Mordschläg libratores appellant) quorum pondere fatiscens infernè terra, immani dein hiatu reverberata, magnâ demum excussâ terræ mole, sparsim vicinos cuniculatores antraq; abs ipsis perforata contexit: cui regerendæ multum temporis necesse habuerunt impendere.

Vidimus item hodie columbam albicanter horis matutinis ex hostium castris volitantem ad nos in Urbem: sub noctem verò succensis è turre gyrandulis unâ & simul quam plurimis, hoc voluimus innuere Duci, supplicare nos simul omnes & unâ, velit accelerare succursum, sine quo ingens mox Christianorum sanguinis sit secuturum profluviump.

Undecimâ Septembbris. Hostis summo manè maximis nos tormentis, quæ habuit, solito ferociùs salutavit horis duabus; post has remisit ferocia: laboribus autem cuniculorum institit lentius: horis pomeridianis vidimus eum totis agminibus, etiam avocatis ex Insula (H) ijs, qui istic curaverant, versus Cæsium montem iter intendere: certissimum nobis signum istac salvatores nostros accurgere: Nec eâ nos esse spe falsos advertimus, quando sub horam quintam pomeridianam vidimus oculis nostris, occupari montis cacumina densatis continuò turmis & turmis, explicatâ lineâ à Sancti Leopoldi facello (S.) ad usque Chamaldulensem busta (T.) per medium milliare à facello in longum porrecta: unde & tormenta oxyus in Turcas subiectos ascensum molientes vidimus contra diplodi. Quantum id nobis spei solatijq; attulerit, ille consideret, qui novem septimanis nobiscum à barbaris interclusus omnia acerbâ vitæ passus, de vita demum ipsa, uxore, liberis, & fortuna prorsus omni periclitatus est: per noctis obscura ascensum promovere per-

gunt Turcæ, è contra nostri descensum, evibrantq; à cacumine mōntis gyrandulas exspectatissimum nobis signum præsentiaæ suæ, cui nos simili ocyus signo gaudia inde nostra innuimus: supplicantes totâ nocte DEO, donec illuceret tandem optata nobis, toties suspirata & salvifica

Duodecima mensis Septembris albo ab omni Christianitate in futurum calculo notanda dies, quâ supplicum suorum vota exaudiit Justus simul, & simul misericors DEUS, paganasq; gentes in suâ feritate confisas dexteræ suæ Omnipotentis virtute contrivit, uti nunc annotabimus paucis.

Orto sole prodibant nostri densatis agminibus tardigradisq; passibus è bustis asceterij Chamaldulensem, & Sacello Sancti Leopoldi (S.T.) structis in Cæsij montis cacumine: explicatisq; ad sinistrum latus inspectantium longioribus alis, latius etiam ultra Monasterij busta è saltuum dumetis prorepunt, indeq; seratis semper ordinibus lento at æquali gradu è vertice montis paulatim declives, cedunt sequentibus standi, & se se similiter dilatandi spatia: hoste contra aciem ad radices montium explicante. Eo tamen non obstante, tanto magis densantur nostri in montis vertice, longoq; sequentes syrmate, mox ut planitiem premunt magis, magis etiam in latum extensi demittunt se lento, uti diximus, sed serato semper gradu per vinearum declivia, agentes continuo tormenta præ se, ijsq; per intervalla in hostem displosis, subsistunt tantisper, donec denuo onerentur, concesso interea tempore his, qui sequebantur, se remittendi in ordines suos: tum actis iterum ante se tormentis promovent descensum ad triginta plus minus, aut quadraginta passus: ibi subsistunt denuo exonerandis tormentis, & præbendo sequentibus condensandi se spatio; eoq; deinceps modo & ordine peracta res est: usq; dum cominus Turcas inspicerent.

Hi suspicentes immanem hominum Christianorum chalibe & ferro ad latera, ad pectus & capita armatorum multitudinem, à summo montis cacumine ad radices usq; tantâ latitudine exorrectam, tantâ spissitudine densam, tam bello ordine junctam, tantis animis ad pugnandum promptam & alacrem. Hæc inquam omnia suspicentes ante se, & post se sentientes tormentorum ingentium globos, quos Generalis noster è moenibus in terga hostium continua dispensationibus ejaculari jubebat adeo densatos, ut integrum arma-

menta-

mentarium unà semel & simul evomere in impios scurras velle vide-
retrur; aleam tentant, & audent primi lacestere. Tum enim verò
continuo cœptâ pugnâ configitur, cæduntur & cædunt, sed non-
diu: mox enim ira barbarorum deferbuit, cum observarent Joan-
nem Poloniæ Regem levato regali tegmine Polonos suos animan-
tem à dextris, pariterq; Lotharingiæ Ducem à sinistris, & reliquos
Duces ac Principes in medio exercitûs Christiani, uno omnes im-
petu facto unitis viribus totâ acie in adversos incumbere: tum enim
vero cedere sæpius loco Turcæ, mox se colligere & vires resumere,
deniq; terga vertere, & turpi se fugæ committere, relictis Castris,
omnibusq; & singulis, quæ in ijs erant.

Supremus Vezirius, qui desertis papilionibus suis (V.) initio
pugnæ in locum paululum à conflictu remotiorem in viam, quâ La-
xemburgum itur, se receperat, ibiq; tentorium aliquod tumultua-
rio opere sibi expandi paraverat (X.) eum videret barbaros suos
confusâ multitudine contra se dilabentes salutem in pedibus quære-
re, ipse quoq; laxatis equo habenis communi se involvens opprobrio
fugam capessit: fugientes insecuri Victores Christiani, non Castris
modò, sed & omnibus, quæ in ijs erant, potiti sunt: papilionibus, an-
nonâ, tormentis, pecuniâ, bubalis, carris, camelis, suppellecile,
globis, pyrobolis, pulvere, pice, adipe, ferro, plumbo, stanno, ar-
gento, auro, tapetijs & aulais: uno verbo omnibus, quorum nos
deinde catalogum adnectimus ad hujus operis calcem..

Dum hostis fugam continuat, promovens Ducas jussu ad Urbem
Ludovicus Wilhelmus Badensis Marchio, cum Halleweilij Heisle-
riq; Dimachorum, mediâ Principis Wirtenbergici, & aliâ pedestri-
aliaq; ex equestribus legionibus manu ad usq; repagula, significa-
tum mittit Stharenbergio Generali, venisse se, ut unitis viribus, quas
intra Urbem habeat, in obsidionales hostium foyeas, è quibus hor-
rendùm adhuc sæviebant barbari (ac si nullum à foris adesset peri-
culum) irruptionem adornet: sed hâc non expectatâ Turcæ jam
deseruerant stationes suas, quando Marchio dein sub noctis crepu-
sculum deliberatam eruptionem adornavit: nemine Turcarum ul-
tra in obsidionalibus eorum vijs reperto. Unde occupabant nostri
tormenta & annonam omnem istic inventam, nemine omnium resi-
stente.

Dum interim Poloniæ Rex cum suis succedit Turcarum castris,
L 2 subitq;

subitq; papiliones Vezirij, quibus ipse resederat in medio elatioris campi, qui post vicum suburbij (Neustift dicti) versus Pentzingam pagum est situs (V.) deprædante hâc victoriosâ gente quidquid ipsis prædare erat volupe, nam delectum habebat.

Succursus omnis hoc ordine fuit instructus. Sinistram alam sustinebat Serenissimus Lotharingiæ Dux cum Cæsareis copijs: Dexteræ alæ præeminebat Rex Poloniæ numerans sub se viginti sex millium Bellatorum exercitum, cui aliquot Cæsarei Equitatûs turmæ erant adjunctæ. Corpus intermedium ex Imperio Danubio secundo dilapsum sustinebant Electores cum Saxone, Bavarus, & Waldeggij Princeps, Franconicis ijsq; adunatis copijs imperans.

Acies ita erat circumspectè fortiter & prudenter instructa, ut nil simile facilè viderit orbis: Nemo movebat ex loco pedem, nisi alter movisset simul, aut exspectabant se invicem, donec unâ starent aut moverent. Nec erat ullus istic Generalis aut Princeps, quin copijs suis præiret ipse in fronte dicens in hostem: Joannes hujus nominis tertius Rex Poloniæ suos primus Ipse animavit, suos primus eduxit: Idem ad miraculum præstítit uterque Elector; Dux Lotharingiæ, Dux Saxonie Lawenburgicus, Marchio Badensis uterque, Princeps Croyus (cujus frater gloriósus hac pugnâ occubuit, ipso sauciato) Generales nostri & Tribuni Caprara, Leslieus, Rabatta, Dunnewaldius, Balfius, Gondola, & Taffius Comites, Mercy, Halléweil & Diepenthalius Barones, singuli semper videbantur in capite; præstabantque omnes, quidquid à fortibus & invictis Heroibus poterat orbis exspectare: eorumque exemplis accensi cæteri adeò ferventer festinabant in hostem, ut franco esset opus, quo festinatio præpropera cohíberetur, ne excederent orbitam. Nemo cedendi gerebat animum, sed vincendi: in prædas ante reportatam certò victoram debachandi nemo, sed aggrediendi generosè & debellandi hostem zelus, comedebat omnes & singulos, nec aliud desiderabatur passim, quam resistentia Barbarorum, non fuga: ut veherentior inde pugna, & gloriósior exoriretur Urbi victoria, & orbis quies: quam utramque DEO omnipotenti exercituum omnium Domino imprimis in acceptis justè teferimus, si situm considereremus locorum, queis arcere barbari succursum potuissent: & ignominiosissimam fugam, quâ deserere omnia priùs quam subire Martis aleam voluerunt, DEO Optimo Maximo terrorem panicum barbaris immi-

immittente, postquam primi tamen lacestivissent in pugnam Christianos.

Sed amplior hæc & nobilior est materia, quam quæ angustis his chartulis circumscribatur pro merito: faciemus sane ex voluntate Augustissimi Cæsar is, ut tot S. R. Imperij Ducum, Principum, Comitum, tot ex Europâ universâ Illustrium & bello fortium Heroum, qui ultiro ad tam decoram, tam piam, tam sanctam & necessariam pro Christianitate suscep tam Martis aleam ad miraculum usq; ex Italiâ, Daniâ, Suetiâ, Bataviâ, Belgio, Hispaniâ & Galliâ numerosi confluxerunt, nomina & parata eis per se met decora, instruetaq; in hostem communem acies, debellataq; gloria prælia ad a muslim incisa æri consecrentur Immortalitati: mox ut otij plusculum naesti, informare nosmet potuerimus de singulis, quis, quid, ubi & quo modo gesserit, dignatiq; fuerint nomina nobis sua, & functionem, quam exercuerunt, adnotatam submittere: nullo alio fine, quam ut virtus singulorum apud posteros nostros olim sit norma Universorum. Hæc tunc. Nunc narrationem absolvamus, quæ porrò sic habet.

Dum ignominiosissimè diffugiunt Turcæ, ocyus in arena amandatur abs Lotharingiæ Duce Franciscus Carolus Comes ab Awersperg, Principis quondam Awerspergij filius, adjutans Generalis, quem vocant, Ducis; qui optima hæc nova Cæsari ex superiori Austria Lintzio ad eandem hanc Viennæ eliberationem properanti referat. Is intellecto fortunatissimo eo pugnæ eventu lummè latatus confessim auditâ missâ anchoras solvi mandat (nam in navigio pernoctaverat) & Durrensteinio defluens, Claustro-Neoburgum appellit, ubi eâ nocte quievit. Illuc excurrens Stahrenbergius, ut Imperatori eminus gratularetur ante, quām Urbi Is succederet; abs Ejus Majestate quam benignissimè est exceptus, & cum gratæ clementiæ notis dimissus.

Dilabente autem ita turpiter & probrosè Turcarum exercitu, à persequentibus eum Polonis eodem adhuc vespere castra cœpta sunt diripi, continuataq; direptio alterâ die totâ à supervenientibus Germanis. Et vix ullus in Urbe Nobilis, Miles Civis aut Incola, quin die sequenti per ruinas palatini propugnaculi descendens in Urbis fossas, indeq; reptando relegens spondæ verticem per fudes istic, & subversa receptacula (nam porta Urbis nulla adhuc commeabilis

erat) penetraret in castra hostilia , indeq; asportaret , quidquid volupe esset , palatoq; ac animo arrideret . Nam tanta erat in castris rerum omnium imaginabilium , & humanæ vitæ utilium abundantia , ut displiceret delectus . In auro numerato ajunt suppellectileque pretiosissimā sub papilionibus Vezirij , aliorumq; Bassarum inventos esse millions : suntq; inventi ē grege viri , qui viginti & triginta etiam milium florenorum pretia asportaverint soli : Rex autem Poloniæ impedimentorum Vezirij partem majorem cum equo , phaleris , pharetra & sagittis , cum vexillo Solymanni ex aurea tela , inscriptisq; ei characteribus Turcicis , & caudâ equinâ duplice , quam vocant ante Vezirium deportari solitâ ceu supremæ potestatis signo , omnino potitus est , subintravitq; Vezirij supremi tentorium , in quo requievit & de nocte .

Cumq; alij passim Turcarum castra lustrarent utilis ergo , & unusquisque curaret portari domum aut vehi , quidquid suppellectilis sibi , aut rei suæ familiari commodum fore existimaret ; Neostadiensis Episcopus , Leopoldus Comes à Kollonitsch pupillos & orphanos , infantes & pueros (quadringentos plus minus & quinquaginta) atq; inter hos ipsos vulneratos quām plurimos sustulit ; quorum matres multæ truculentis barbarorum frameis hac illac stratae jacebant per campos & castra dissecta , pupulis haud eò minus adhuc trucidaturum matrum ubera pro lacte prensantibus : quibus deinceps aut liberalitate suâ Episcopali , aut impetratâ devoti fœminei sexus misericordiâ , de benigna vulnerum & plagarum curatione , educatione & alimentis bonus Pastor providit , ingenti Patriæ & Christianitatis solatio : mercedem olim recepturus abs eo , qui nec haustum frigidæ suo nomine fitientibus impertitum sinit esse irremuneratum .

Ea quæ Cæsarîs armamentarijs inferenda relicta sunt , postea hic ad calcem prout nos quidem accepimus , adnectemus . Altero die , qui fuit

Septembris tertia & decima , Poloniæ Rex cum Electoribus binis , Duce Lotharingiæ , cæterisq; ferè Generalibus illustribusque personis ducti à Stharenbergio Conservatore , obivere Urbis mœnia lustrantes obsidentium obsessorumque labores & opera : quæ omnes ceu attoniti obstupescentes , laudare uno omnes ore occipiunt Conservatoris nostri fortitudinem atq; industriam , virtutemq; omnium & singulorum , qui sub ipsius directione tam præclarè se gesserint .

tint. Hoc interim certum est, nullum fuisse omnium, quin ultimam sui sanguinis guttam maluerit spargere, quam dedendo se Turcis, famam nominis sui commaculare. Post lustrata quæ foris sunt, Rex & Elector Bavariae, præbitis Electori Saxoniæ & Lotharingiæ Duci omnibus benevolæ amicitiæ signis ab his separati in Urbem processere : Et Rex quidem curabat ante se portari vexillum : quod ante Vezirij papiliones acceperat, moxq; in sacellum B. V. MARIE Lo- retanum paucis suorum comitatus secedens, lecto Missæ officio reverenter interest, quo finito pro sua devotione Rex ipse Ambrosianum hymnum cum præsentibus, humi stratus, decantat ; post hunc rhedâ unâ cum Principe filio suo, germanico habitu vestito, deportatur in Stharenbergij ædes, ubi unâ cum Electore Bavariae, pluribusq; Poloniae Magnatibus & Generalibus, Domino item Comite Schaffgotschio (tit.) qui abs Cæsare ad Regem erat legatus, alijsq; personis illistribus pransus est dapsiliter. Post prandiu cum post alios benignè collocutus Meninskio supremo Cæsarisi Interpreti, & Consiliario esset : in domiciliū Comitis Capplirij quietis causâ divertit: cui cum per semihorulæ plus minus spatiū indulsisset, sub vesperam Eques in castra reversus est; in quibus negligenti militum avidius inhiantium prædæ incuria, centena aliquot pulveris nitrati centenaria evaporarū in altum : multis opinantibus, cuniculorū hos ignes esse, quos sub vijs suis obsidionalibus vafre fugitivi destituissent. Altero post hunc, id est,

Decimo quarto Septembbris die Sacra Majestas Cæsarea, Clementissimus Princeps & Dominus noster, cum selecto comitatu secundo amne defluxit ad nos : exscendentem navigio sub terna tormentorum per mcenia Urbis, sclopetariorumque displosione exceperunt Electores ambo (nam Rex Poloniae summo jam manè cum exercitibus castra promoverat) & præcipui quique Campi ac Urbis Mandritæ : quos omnes benignè vicissim & clementer acceptos admisit ad manus osculum : ductus inde per obsidionales hostium vias, & Urbis fossas, cum accurate lustrasset singula, sub horam deinceps pomeridianam secundam per portam Hungaricam (vulgo das Stuben-Thor) quæ ocyus ad hoc adaptabatur, ante euntibus Bavaro & Saxone Electoribus subeunus Urbem, rectâ in Sacram Sancti Stephani ædem deductus est : ubi sub ternâ iterum tormentorum muralium universæq; militiæ per valla dispositæ sclopetorum festivâ displosione devotas palam D E O gratias egit, decantato

symphoniacis instrumentis & vocibus Ambrosiano Hymno , quem Episcopali paludamento circumdatus Comes à Kollonitsch repetito tertiat vice principio solenni cantu intonuit : nam hic solus ex omni virorum ejuscemodi dignitatis Ecclesiastice gradu præfulgentium numero Viennæ subsistens , præstantissimæ huic manserat, pressæ diu Urbis, eliberationi superstes.

Peractis inde sic solenni ritu DEO gratijs , Emericus Viennensis Episcopus captans cum Cæsare loquendi oportunitatem recensuit Majestati , renovavitq; memoriam historiæ ejus , quâ constat , quod Anno 1529. Turcarum Sultanus , etiam tunc ut modò Solymanus dictus , cum & ipse ducentis , & pluribus barbarorum millibus comitus Viennam frustrâ obsideret , deprecantibus incolis pepercit S. Stephani turri , prohibueritque in eam fævire tormentis , ne artificiosè istic per circuitum è solidis petris facta toremata elisa & fracta conciderent : Viennensisbus in beneficj memoriam ex stipulatu semilunam & stellam , Turcarum nempe insigne , cacumine turris tunc fagentibus : quod quia hodiedum adhuc istic hæreret conspicuum , hostisq; nunc , contempto veteri pacto , ferociter & assidue turrim hanc tormentis quatiens immania illi damna intulerit ; supplicari modò , ut clementissimâ Cæsarî veniâ sibi nunc Episcopo liceat , hæc impia Turcarum arma deturbare , & salvificæ Crucis signum priorum loco refigere ; quod Cæsari placitum in eo est , ut propter diem executioni mandetur . Post hæc Imperator in Arcem vectus , cui Archiducali Curiæ nomen (nam ordinarium Cæsarî Palatum foedè tormentis laceratum hospitalitatem negabat) cum plures ad se accedentes benignè audijsset , unâ cum Electoribus binis horâ prius quintâ vespertinâ est pransus : nec cœnavit ultra ..

Sublatâ mensâ , cùm alij alijs Viri Principes semper succederent , qui Cæsareæ Majestatis pedibus adgeniculati felicem ipsi in Sedes suas redditum gratulabantur , illa dies obsequijs ejuscemodi continuatis consumpta est . Die posterâ , id est ,

Decimâ quintâ Septembbris Imperator foras in campum , millibus minimùm duobus abs Urbe per Danubij ripas porrectum , processit coram salutaturus Poloniæ Regem , quem in eam diem ante non viderat , & lustraturus Victores exercitus .

Prius tamen in Sacellum B.M. Virginis Loretanum concessit ut sacro Missæ sacrificio pro more , pius adesset : quo finito re-

ver-

versus in Curiam, Poloniae Regis Legatum Joannem Gninskium, Coronæ Pro-Cancellarium gratulationis officio perfungentem audiuit sermone latio eleganter, ita fere differentem. Regem suum velocem ad Augustam Cæsareæ Majestatis vocem atque salutem, posthabitibus omnibus sibi charis venisse Auspice DEO, vidisse Lechico animo, viciisse Imperante invictâ semper Majestate Augustâ, conjunctâ Generalium Majestatis Ejus, Serenissimorum Electorum, Principum, Ducum, exercituumq; fortitudine : Dexteram Domini, quæ manus armavit ad prælium, fecisse virtutem hanc : Cupere vehementer Regem suum Majestatem hanc Augustam amplecti coram ; sed instare Victoriae, atque in campo gloriae ampliora semper à cœlo pro Cæsarea Majestate expectare decreta , gratulantem interea restitutam Augusto suo suam Regiam. Cumque è spolijs suis immanissimo Christianitatis hosti detractis palmare Orientis vexillum ad SS. Apostolorum limina Romam emiserit, prosternere Sacræ Cæsareæ Majestati, Mahometici Imperij insigne. (Pertica erat longa pedes plus minus sedecim tornata in crassitiem virilis pugni superne deaurata, toreumatibusque acupictis effulgens, à quâ coronamentum dependebat in longitudinem ulnæ, quod Turcæ suâ linguae Tugh, nos caudam equinam vocaremus, quia ex jubis equi marii consuitur ; signum supremæ in campo potestatis, qualia ante Primum Vezirium deportari ubique , & ante tentoria ejus reverentiae ergo figi consueverunt.) Nec descensurum equo Regem donec integræ gloria , ac securitas terris utriusque præstentur , Orienſq; superbus Augustum Occidentis nostri, Bello Judice, veneretur atq; suspiciat ; nec credat quod optat , esse consumptum, dum sentiet oriturum ut Luciferum Leopoldum Augustum : quem faxint superbi ! ut nova Imperiorum sæcula ordiantur pro Augustissima Domo sua , & à Primo Leopoldo Augusta progenies imperet ad usque sæculorum consummationem. Ita vovere Regem, Dominum suum clementissimum, ita precari, &c. Hæc fere Legatus.

Cui Cæsar disertissime ad stuporem Polonæ gentis respondit eadem, id est, latinâ lingua ; decumanum hoc cœli beneficium extolens , & Regis sospitatoris totiusque amicæ nationis Auxilia : queis optet quidem grata quævis in eliberata jam Urbe præstare se posse ; sed quod in campum jam Martium sit invitatus , in procinctu nunc esse , ut istuc amplectatur Regem lustretque Victorem exercitum..

Moxque signo profectioni tubarum clangore dato equisq; conscen-sis ad castra perrectum est. Vix ad tertium ab Urbe lapidem ventum est ; cum ecce Bavariæ Electoris exercitus primus se oculis Cæsar is ingerit, mox ut busta PP. Augustinianorum post terga erant relicta : in cuius fronte super equo conspicuus Elector, strictum ensem quem Cæsar Serenitati ejus tres circiter ante annos apud B.V. Oettinganam donaverat gemmis, & unionibus pretiosissimè distinctum in dex-trâ gerens , præstolabatur adventum Imperatoris : appropinquan-tem, profundissimâ vibrato decussatim ense reverentia exceptit. Cui blandè arridens Imperator, benigno Vultu, multum hunc sibi Princi-pis Consobrini ardorem placere commonstravit. Inde se Elector comitivæ Cæsar is adjunxit : qui lustrando ultra suum & illum, quem Imperium submiserat exercitum pergens Ebersdorffium (nam eo-usq; porrigebantur alæ) hinc mox in dexterum latus ultra Schwe-chetum semihora viâ declinat, ubi Poloniæ Rex cum suis castrameta-tus operiebat Imperatoris accessum: quem cum admoneretur in vici-no , nec amplius unius aut alterius sclopeti iectus intervallo abesse, o-cyus cum Principe filio suo Eques accelerat obviam, denudatisq; hinc & inde verticibus cùm se invicem inclinati in amicam saluta-tionem corporibus exceperint ; reopertis iterum sacris vertici-bus Equites , prout erant , familiariter sunt collocuti , in Electoris Bavariæ aliorumq; centenorum utriusq; Aulæ Magnatum circum-fusa præsentia.

Disertis imprimis verbis Cæsar Regi gratias egit, quod tantâ is suâ suorumq; molestiâ tantum iter emensus tam fidelem assistentiam, contra communem Christianitatis Hostem præstare voluerit ; pro qua Ipse Cæsar & Christianitas Universa sit Ei devincta : Apud illum autem qui venturus est mundum , serosq; posteros ejus, Nominis ei famam deberi sempiternam.

Ad quæ Rex : DEO Trino & Uni insignitam hanc de truculento Christianitatis hoste deberi Victoriam afferens, se quidem aliud præ-stitisse nihil profitebatur, nisi quod debitum suum requisierit : omni-busque porro se animi sui ac corporis viribus daturum operam , ut plura edantur à se suisque pro Ejus Majestate , ac Christianitate Uni-versa, virtutis exantlandæ specimina : & his similia, &c. Queis per-actis, cum ad nutum Regis Princeps ejus Filius profundissimâ factâ Cæsareæ Majestati Reverentia ex improviso manum Augusti pre-hensem

hensam esset osculatus, suumq; mox Cæsar ei affectum & amorem plane paternum liberaliter repromisisset; denudatis iterum sacris verticibus, cum benè invicem essent precati, retrocesserunt ab invicem: Cæsare suum iter præter Polonam gentem (præduce Exercitus ejus Generali Duce Jablohovio) civitatem versus prosequente; Rege autem cum Aula sua paulò longius ad tentoria sua progrediente.

In hujus diei itinere vidit Cæsar omnia passim loca esse vastata, præter hortum Ebersdorffio & Simmeringæ pagis post Sancti Marci medium, Neugebäu dictum; ubi olim Anno 1529. etiam Viennam ob-sidentibus Turcis, Solymanus eorum, tentoria sua tetenderat, ad quorum formam Maximilianus II. deinde Imperator hortum exstruxit turribus cupro tectis per intervalla ea distinctum & ornatum, queis olim papiliones steterant ab invicem separati. Id quia notum in hanc diem Turcis, conflagrando huic loco præ Sultani sui olim istac castametati reverentiā pepercérunt, & pro annonario usi sunt: unde immane quantum panis bis cocti aliarumq; humanæ vitæ utilium rerum asportaverint nostri. Hoc in loco reperti sunt pridiè ex prætorianis Turcicis viri plus minus quinquaginta, qui istuc collocati fuerant, ut plurimis Christianis puerulis inibi detentis ab hoste forte sœvituro parceretur. Sed hi omnes à nostris servati sunt: prætorianis in captivitatem reductis,

Cæsar in Urbem redux, ut pignus aliquod sui in Principem Regis filium affectus statueret, Ernestum Comitem à Molart Camerarium & Architrichlinum suum submisit oxyus, qui tesseram Cæsareæ suæ munificentiæ ei detulit gladium gemmis pretiosissimè distinctum: sed & alij Exercitus Polonici Duces atque Primores benignam liberalitatem sunt experti.

Reliquis diebus, queis Viennæ adhuc substituit Sacra Majestas, defensiones Urbis intrinsecas diligenter lustravit, Elector autem Saxonia, intemperiem alvi profluentis excusans repente cum suis discessit, petitâ per Ministros Cæsaris veniâ. Cæterum livor sinistraq; interpretatio, aut fingendi libido causas non unas, nec generositati Electoris conformes huic redditui adsignare, & rumore sparso sufflaminare gestijs. Quasi Elector Religionis Evangelicæ rationem habiturus, arma contra Hungaros stringere amplius detractasset. In Barbaros Ottomannos, eorumq; nefarios sectatores, Romana ple-

rumq; sacra profitentes non minus , quam in supposititum Principem Turcarum mancipem , ambitum suum pietatis fuso velantem exercitus erat ducendus , & ducitur hodie dum , intacto Religionis cultu . Omnia profecto bonorum , nedum Christianorum odio digni sunt , & Vindice manu , quicunq; Turcas & Tartaros in Hungariæ Austriæq; perniciem sollicitarunt . Et tamen his ipsis extrema quæq; suppicia , unanimi cunctorum & sincero Judicio promeritis , Clementissima Cæsaris Pietas , deprædicataq; toto Orbe longanimitas , & mansuetudo Austriaca submittentibus se , & verè pœnitentibus parcere prompta , obtrectorum ora vacordefq; tumultuantium conatus noverit coercere .

Varijs dein Consultationibus pauculi adhuc dies transacti sunt , communicatisque hinc inde consilijs statutum , qui reportatis hisce à communi Christianitatis hoste victorijs sit insistendum , qua se quendum , quidque deinceps autumno adhuc durante agendum omnitudinem : Cæsar , postquam Stharenbergium Comitem Generalem Campi Mareschallum creâisset , die decimâ nonâ Septembris ducto per saltum Viennensem terrestri itinere Linzum salvus & incolumis redijt : quem sospitet porrò cum terris & subditis suis in annum usq; & usq; ignoratum Nepotibus suis , ignoratum astris annum , D E U S Unus & Trinus , cui laus sit , honor & gratiarum actio in æternum .

Hic fessum calamum figo , ut hebetatum exacuam , donec hoc campiductu finito , quæ hinc eò sint usque , præclarè ultra , & alibi obfisionis tempore extrinsecus gesta , novo labore describam novo ardore legenda .

F I N I S.

Er-

Errata sic corrigenda.

Pag. 21. lin. 25. M. lege G.

Pag. 14. lin. 5. A lege Z.

Pag. 16. lin. 34. 4. lege D.

Pag. 17. lin. 6. fin. Polonibis mille , lege, plus minus quater mil-
le sub Lubomirio Principe Cæsareo ære pridem collecti.

Pag. 18. lin. 13. E. , lege G.

Pag. 21. lin. 15. fin. factuosè , lege fastuosè .

Pag. 68. lin. 13. loco dexteram, lege dexterum.

Pag. 71. lin. 16. fin. pro superat , lege supererat.

Pag. 72. lin. 6. læso , lege cæso .



Lector.

Errata adhuc corrigenda.

Pag. 50. lin 12. fin. post verbum (secuissent) adde: Generalis Comes Daunius, & Comes de Souches h̄ic loci tum curabant rem accuratē.

Pag. 72. lin. ult. fin. post verbum (curantibus) adde: Dominis Generali Comite à Daun, Comite de Souches, & Barone Heistero.

Pag. 74. lin. 13. fin. post verbum (lethalis) adde: Curabant autem rem h̄ic gnaviter & accuratē (uti aliās semper) Generalis Comes Daunius, Comes Souchius, & Baro de Beck: quorum primus lapidibus, iētu tormenti hostilis, è muro exectis, perforato pileo, secundū caput & humeros, aliaquā corporis sui membra periculosē h̄ic est sauciatus. Et fuissent h̄ec suis semper locis descripta pro merito: si citiū nobis innotuissent: Versio autem germanica seriū praelō commissa recenset.

Pag. 85. lin. 4. omittatur (ex voluntate Augustissimi Cæsaris.)

Lector.

Quam tibi promisi , ecce , nunc præsto fidem. Catalogos
promisi eorum , quæ in Turcarum fugitivorum castris in-
venta , Armamentarijs Imperatoris cesserunt , tanquam illuc spe-
stantia ; aliaq; id genus : Quæ propterea vernacula Germano-
rum linguâ adnecto , quia verba latina me sëpe destituunt , quibus
propriè singulas has rerum adscriptarum notiones possim exprime-
re : hinc eâ linguâ , quâ mihi sunt data , tuæ mi Lector , fidei illa
restituo , quæ sic habe :

Specification,

Was über den so eylends flüchtigen Puffbruch
der Türkischen Armee von der Statt Bienn / auf dem
Läger in die allhiesige Zeughäuser überbracht worden/
und noch zu überbringen verbleibet.

4000. Centen Bley.

4000. Centen Pulver.

18000. Metallene Hand-Granaten.

2000. Eiserne Hand-Granaten.

10000. Krampen und Schaußeln.

6. Centen Luntens.

2000. Brand-Kugeln.

50. Centen Pech und Harz.

10. Centen Petroleum, und Catharina Del.

500000. Pfund Leinöl.

50. Centen Salpetter.

30000. Minen-Zeug.

50. Centen Feldmacher-Leinwath.

200000. Hårene Sandsäck.

80. Centen Türkische Hueff-Eisen und Någel.

50. Centen Battary : und Brücken-Någel.

1100. Stuck Pechpfannen.

a

4000.

4000. Stuck Schaaf-Fell.
 20. Centen Bindfaden von Cammel und Ochsen-Haaren.
 2000 Heleparten.
 400. Sensen.
 500. Janitscharen-Röhr.
 50. Säck gespunnener: und ungespunnener Baumwoll.
 1000. Ungefüllte Woll-Säck.
 2000. Eiserne Platten auff Schild/ und Rundtatschen.
 100. Centen Schmeer und Inßlüt.
 200. Janitscharen Pulfferhorn.
 20000. Lederne Pulffer-Säck.
 4. Blasbälck zu glüenden Kugeln.
 50. Centen ungearbeitetes Eisen.
 200. Hölzerne Wagenwinden.
 8000. Läre Munition-Wägen.
 1000. Grosse Bommen.
 18000. Unterschiedliche Kugeln.
 4. Ganze Carthaunen.
 106. Gross und kleine Stuck/ 10. Mörser/ 1. Haubitz.
 Ein Menge Schlepp-Sail zun Stücken.
 16. Grosse Amboss.
 200000. Brandröhren auff groß und kleine Granatten.

Verzeichniss/

Der bei Belagerung der Statt Wien auff die Par
 steyen auß denen Kaiserlichen Zeughäusern auffgeführt
 ten Stuck / Haubizzen und Pöller. Als:

Ganze Carthaunen	=	=	=	20.
Drey viertel Carthaunen	=	=	=	4.
Doppelte Schlangen	=	=	=	4.
Dreyssig pfündige Stuck	=	=	=	1.
Halbe Carthaunen	=	=	=	23.
Kurz 24. pfündiges Stuck mit der runden Cammer	=	=	=	1.
				Ganze

Ganze Schlangen	=	=	=	=	6.
Quartir-Schlangen oder Viertl-Carthaunen	=	=	=	=	35.
Halbe Schlangen	=	=	=	=	2.
Falckenauen	=	=	=	=	20.
Sechs pfündige Cammer-Stück	=	=	=	=	2.
Bier pfündige Schlängl/ und auff Karren gefast: und ungefaste Stückl	=	=	=	=	10.
Lange Feld-Schlängl	=	=	=	=	22.
Regiment-Stückl	=	=	=	=	57.
Drey pfündig Eisen schiessende Stückl / mit zugespitzten Cam- mern	=	=	=	=	2.
Regiment-Stückl nach Gründls / und Prinz Roberts invention	=	=	=	=	2.
Doppelte Falckeneth / oder zwey pfündige Schlängl	=	=	=	=	8.
Haubizzen	=	=	=	=	12.
Zwen hundert pfündige Pöller / von Metall	=	=	=	=	4.
Hundert und fünffzig pfündige	=	=	=	=	2.
Hundert pfündige	=	=	=	=	5.
Sechzig pfündige	=	=	=	=	10.
Acht und zwainzig pfündige	=	=	=	=	2.
Sechs und zwainzig pfündige	=	=	=	=	1.
Acht und zwainzig pfündige eisene Pöller	=	=	=	=	6.
Fünfzehn pfündige	=	=	=	=	1.

Summa in allem Stück gross und klein 262.

Specification

Derjenigen Stück und Pöller / auf Thro Majestät
Zeughäusern/ so in wärender Belägerung der Statt Wien/
von dem Feind zerschossen/ und theils sonst ruinirt worden.

Nemblich:

Ganze Carthaunen / als acht so völlig schadhaft / zwey
aufgebrent/ und an einer der Kopff abgeschnitten/ zu-
sammen

a. 2.

II.
Item

Item ist die Türckische Earthaunen / so schon vorhero im Zeughauß vorhanden gewest / aufgebrent.	1.
Doppelte Nothschlangen oder dreyvierl Earthaunen.	5.
Halbe Earthaunen / als 13. ganz schadhaft / und eine auß- gebrent.	14.
Ganze Schlangen / darunter zwey schadhaft / eine auß- geschossen / und an einer der Kopff abgeschnitten.	4.
Quartierschlangen / worunter 13. schadhaft / 9. außge- brent / und an viern die Kopff abgeschnitten.	26.
Halbe Schlangen / an welcher der Kopff abgeschnitten.	1.
Falchonetten so schadhaft / darunter an einer der Kopff ab- geschnitten.	6.
Langes Feldschlängl.	1.
Kurze Regiments-Stückl.	2.
Doppelts Falchonet / an welchem der Kopff abgeschnitten.	1.
Hundertpfundiger Pöller.	1.

Summa der Stück 72.
Pöller 1.

Liste.

Des Kraut und Loths / und dergleichen materialien
mehr / so bei dieser Belägerung auß denen beiden Kayserlichen
Zeughäusern hergegeben worden / und aufgangen seynd : Wobey doch die
kleinere Nebensachen / als Schaußeln / Hacken / Ketten / Piquen / Pantelier /
Pulffersflaschen und dergleichen mit Fleiß nicht annoti-
ret worden.

Doppelhacken	212.
Lange Musqueten / oder Halbhäcken	77.
Ordinari Musqueten	9337.
Carbiner	456.
Pistolen	104. Paar
Kurzwehren	1504.
Springstöck	2323.
Curaß	

Curaß sambt Casquet	=	=	=	=	645.
Pöckelhauben	=	=	=	=	227.
Stück-Kugeln groß und klein	=	=	=	=	35383.
Doppelhaggen- und Trad.-Kugeln	=	=	=	=	48421.
Musketen-Kugeln	=	=	=	=	1106. Centner.
Steinerne Kugeln	=	=	=	=	155.
Cartatschen	=	=	=	=	1998.
Granaten auf Mörsern/ und Haubitzen zusammen	=	=	=	=	6657.
Hand-Granaten Eiserne/ und Gläserne	=	=	=	=	80502.
Pulffer	=	=	=	=	3187. Centner.
Lunten	=	=	=	=	862. Centner.
Bley	=	=	=	=	8084. Centner.
Geleuterten Salitter	*	=	=	=	12. Centner.
Schwebel	=	=	=	=	7. Centner.
Pech	=	=	=	=	3. Centner.
Pech-Kränz	=	=	=	=	8442.
Pechpfannen	=	=	=	=	113.
Batterie-Nägel	=	=	=	=	3700.
Sturm-Nägel	=	=	=	=	2900.
Eisen	=	=	=	=	59. Centner.
Copienstangen	=	=	=	=	1720.
Lanzen zu Morgensternen	=	=	=	=	273.
Morgenstern	=	=	=	=	600.
Cammerspiegel	=	=	=	=	79.
Läuseisen	=	=	=	=	9000.
Eisene Mordschläg	=	=	=	=	200.
Alte Spreng-Kugeln	=	=	=	=	80.
Reitherrharnisch hinder und forder Theil	=	=	=	=	623.
Piquenier-Hauben	=	=	=	=	275.
Nassadisten-Spieß	=	=	=	=	250.

Extract

Was auf dem Burgerlichen Zeughauß von Armaturen
und Munition aufzugeben und gebraucht worden
wie folgt:

Erstlichen seynd 50. Stück/worunter 8. Haubizzen/nicht als
Stein auff die sonstigen ordinari Burgerliche Pasteten/sondern
auch auff alle nothwendige Posten zur Defension auffgeföhrt und
gepflanzt worden/zu welchen 50. Stücken auff gute Vorsehung
eines Statt-Rath's ein ganze Compagnia Pikenmaister 100.
Mann/ohne der zugehörigen Officir vorhanden gewesen/welche
Burgerliche Pikenmaister auff Ihro Excellenz Herrn Generaln
Grafen und Herrn von Stharenberg/und Statt-Rath's Be-
felsch/auff alle nothwendige Posten sich also gebrauchen lassen/
daß deren vil die ganze Belägerung niemahlen von ihrer Post
abgelöst worden/von welchen 100. Mann 16. theils gleich todt
gebliben; theils also blesiert, daß die hernach bald zeitliches todt
verblichen/von welchen 50. Stücken 5. ruinirt worden.

Folgen die verschossene Stück-Kugel.

Stück Kugel zu 1. Pfund	=	=	=	579.
Zu 2. Pfund	=	=	=	1714.
Zu 3. Pfund	=	=	=	851.
Zu 6. Pfunden	=	=	=	989.
Zu 12. Pfunden.	=	=	=	1425.
Zu 18. Pfunden.	=	=	=	817.

Summa 6375.

Folgen die Granaten.

Eiserne Hand-Granaten	=	=	=	2222.
Gläserne Hand-Granaten	=	=	=	2681.

Summa 4903.

Folgen

Folgen die Cartatschen.

Ganze Cartaunen-Cartatschen / jede 48. ff.	=	=	221.
Dreyvierl Cartaunen / jede von 36. ff.	=	=	204.
Halbe Cartaunen jede 24.	=	=	350.
Einfache Nothschlangen / jede 18. ff.	=	=	112.
Viertl-Cartaunen / 12. ff.	=	=	206.
Falchaunen / jede 6. ff.	=	=	192.
Haubizzen / jede 12. ff.	=	=	312.

Summa = = 1597.

Folgt was von Eisen / Kugel-Schrott / und Hagel verbraucht worden zu denen Cartatschen.

Zu Untermischung der ganzen Cartaunen-Cartatschen seyn 1190. Kuglen / jede von 1. ff. gebraucht worden/ wären	=	=	11. Centen 90. ff.
Item 116. Centen eiserne Kugeln.	=	=	116.
Item 225. Centen Schrott.	=	=	225.

Summa = = 352. Centen 90. ff.

Doppelhaken sambt Pantelir.	=	=	612.
Musketen sambt Pantelir.	=	=	2972.
Gliindten sambt Taschen.	=	=	56.
Mordschläg.	=	=	2551.
Sturmhaufen.	=	=	1000.
Kiras sambt den Easchetten.	=	=	460.
Helleparten und allerhand Waffen.	=	=	4626.
Picken und Springstecken.	=	=	1210.
Ledige Stangen von Picken.	=	=	48.
Hand-Feuerspreizen.	=	=	521.
Lederne Feuräumper.	=	=	460.
Stück-Haken und Musketen-Pulffer.	=	=	382. Centen.

Scheiben

Scheiben-Pulver.	=	=	5. Centen.
Staub-Pulver und allerley Sätz.	=	=	15. Centen.
Bley.	=	=	319. Centen.

Darauff seynd nachfolgende Kugeln gossen worden.

Doppelhacken-Kugeln.	=	=	165300.
Musketen-Kugeln.	=	=	258300.
Tradkugeln.	=	=	5250.

Summa = = aller Bley-Kugeln 428850.


Geleitertert Galliter.	=	=	3. Centen 10. H.
Pech.	=	=	664. Centen.
Lundten.	=	=	262. Centen.
Bech-Kräntz.	=	=	63000.
Feür und Bechthunnen.	=	=	569.


Im Bech getauftte Schintel zu Beleuchtung der Gräben.


146. Wägen.


Baum-Sail.	=	=	17.
Sturmwässer / jedes bey 50. H.	=	=	46.
Batterien-Nägel.	=	=	1016.
Bechpfannen.	=	=	10.
Kohlen.	=	=	136. Stübich.
Pulver-Flaschen.	=	=	38.
Spiegel zum Haubizzen.	=	=	312.
Lämeisen.	=	=	1026.

E Y D E.









*Sire O. M.
Franchi*

